M. TULLI CICERONIS

ORATIO PRO M. CAELIO.

RECENSUIT ATQUE INTERPRETATUS EST

IACOBUS VAN WAGENINGEN.

GRONINGAE, IN AEDIBUS HEREDUM P. NOORDHOFF,

A.⁰ MCMVIII.

fl. . 1.80.
Mrk. 3.00.

M. TULLI CICERONIS

ORATIO PRO M. CAELIO.

M. TULLI CICERONIS

ORATIO PRO M. CAELIO.

RECENSUIT ATQUE INTERPRETATUS EST

IACOBUS VAN WAGENINGEN.

GRONINGAE, IN AEDIBUS HEREDUM P. NOORDHOFF,
A° MCMVIII.

PROLEGOMENA.

I. DE M. CAELI RUFI VITA.[1]

Caelius patre divite, equite Romano[2] natus est, sed quo anno et quo in municipio, non constat. De anno illo quidem natali indicium exstat apud Plinium[3], qui C. Mario Cn. Carbone III coss. (= a^0 82 a. Chr.) a. d. V Kal. Iunias (= d. XXVIII m. Maii) eodem die, quo C. Licinium Calvum, eum genitum esse tradit, sed Nipperdeius[4], quem secutus est Wieschhoelterus in dissertatione Lipsiensi, non fieri posse, quin error in Plini verbis esset, demonstravit, cum hoc indicium temporis cum aliis discreparet, quae certissima ex annis, quibus Caelius magistratus gessisset, effici possent. Fuit enim tribunus plebis a^0 52[5], aedilis curulis a^0 50[6], ita ut sine dubio ante a^m 82 natus sit, nam his temporibus quaesturam inire non ante annum aetatis tricesimum primum licebat, nedum tribunatu fungi, qui magistratus certe biennio post quaesturam geri solebat. Itaque non multum a veritate aberrabimus, si Caelium triginta tribus annis ante tribunatum suum, h. e. a^0 85 a. Chr. n., natum esse statuemus.

Neque minus difficile est exploratu, quae Caeli patria fuerit. Multi Caelianae editores nomen municipii latere putabant in verbo corrupto *praetoriani* (§ 5), ex quo Beroaldus *Puteolani*, Baiterus

---

[1]) *Paul Wissowa* Realencycl. s. v. Caelius n^0. 35 (Münzer); *H. Wieschhölter*, de M. Caelio Rufo oratore (diss. Lipsiensis 1885); *W. Wegehaupt*, M. Caelius Rufus, progr. n^0. 141, Breslau 1878; *Boissier*, Cicéron et ses amis, Paris 1874, p. 167—219; *Drumann—Gröbe*, G. R. II 411—422; *Oetling*, librorum manuscriptorum, qui Ciceronis orationem pro Caelio continent cet., Goettingae, 1868, p. 23. [2]) p. C. §§ 3, 73. Habebat pater possessiones in Africa. [3]) Plin. n. h. VII § 165. [4]) Nipperdeius in Mus. Rhen. XIX 289 sqq., cui Mommsenus SR. I 570, 3 assentitur. [5]) App. b. civ. 2, 22. [6]) Cic. ad fam. VIII 2, 2.

Tusculani, Gruterus *Praetutiani* (probatum codice Σ), Orellius *Praenestini*, Vollenhovenius *Veronenses* (idem Franckenus), alii aliud elicere conati sunt. Sed nomen proprium hoc loco non desideratur; id enim post illud *municipibus* omnino in apodosi abundaret; fieri tamen potest, ut lectio depravata *praetoriani* (*-tori-* P² in ras.) nata sit ex emblemate, quod ad vocem *municipibus* explicandam inter lineas insertum erat. Sed quod nomen illud fuerit, certo dici non potest. Si cod. Σ (m. sec.) reapse solas daret lectiones in margine ex vetere Cluniacensi sumptas, huic fides habenda esset, verum ipse Clarkius, qui primus illum codicem in lucem protraxit eique debitum honorem tribuit, de ea re dubitare videtur et in editione sua crucem apposuit vocabulo *Praestutiani*. Accedit, ut notus sit ager Praetutianus, non oppidum [1]). Quare magis attendendum est ad Baiteri coniecturam (*Tusculani* [2]), quae aliquatenus firmari videtur duabus inscriptionibus [3]), quae Caeliorum familiam Tusculi nobilissam fuisse atque Caelium quendam Rufum Augusti aetate magistratu municipali functum esse docent.

Verum ubiubi Caelius est natus, cum eo adhuc puero pater Romam videtur migrasse, ubi filius melius erudiretur et ipse in foro versaretur causasque ageret [4]). Erat vir parcus et tenax erga filium ac satis severus in eo educando, unde Caeli obtrectatores postea finxerunt patrem parum pie a filio esse tractatum [5]). Caelius autem cum pueriles annos cum pudicitia, patris diligentia disciplinaque satis munitus, transegisset, continuo, ut virilem togam sumpsit, ab eo ad Ciceronem deductus est, quo magistro eloquentiae uteretur. Neque solum cum Cicerone erat, sed etiam in M. Crassi „castissima" domo versari solebat, cum artibus honestissimis erudiretur [6]).

Quo anno haec deductio facta sit, Cicero non diserte tradit, sed si Caelius aetate eadem, qua plerique adulescentuli consueverant, togam virilem accepit, annum aetatis decimum septimum agebat [7]),

1) Jung, Geogr. v. It. p. 48. 2) Cf. p. Cael. § 5 s. f.: *municipio tam illustri et tam gravi.* 3) C. I. L. XIV 2624, 2627. 4) Id efficio ex § 3: *quod iam diu minus in foro nobiscumque versatur.* 5) Cf. p. Cael. §§ 3, 36, 38: *parum splendidus; patre parco et tenaci; parsimoniam patrum.* 6) Cf. § 9. 7) Marquardt, Prl. p. 133: „man nahm nämlich die Toga (virilis) damals bei dem Beginne des Tirociniums, welches man auf ein Jahr feststellte, also nach Vollendung des 16 Jahres."

cum ad clarissimum oratorem deductus est. Quae computatio si recte se habet, Caelius iam a^0 69 a. Chr. n. cum Cicerone, qui tum aedilis curulis erat, videtur vixisse, cuius a latere non discessit ante a^m 63, ita ut per sex annos in eius familiaritate ac disciplina permanserit. De quo temporis spatio ipsum audiamus Ciceronem (§ 10): „fuit (Caelius) assiduus mecum praetore me (a^0 66); non noverat Catilinam; Africam tum praetor ille obtinebat. Secutus est annus (65), quo causam de pecuniis repetundis Catilina dixit. Mecum erat hic; illi ne advocatus quidem venit umquam. Deinceps fuit annus (64), quo ego consulatum petivi; petebat Catilina mecum. Numquam ad illum accessit, a me numquam recessit. § 11: Tot igitur annos versatus in foro sine suspicione, sine infamia studuit Catilinae iterum petenti (a^0 63). Quem ergo ad finem putas custodiendam illam aetatem fuisse?"

Attente haec Ciceronis verba legentes animadvertimus accusatores Caelio obiecisse, quod adulescentulus parum pudice vixisset, fortasse quod muliebria passus esset [1]), Ciceronem autem summopere hoc crimen diluere studuisse demonstrantem per eam aetatem, in quam vitia illa caderent, Caelium satis custoditum esse a se, a Crasso, a patre, postea tamen cum „iam se corroboravisset et vir inter viros esset" — agebat enim, cum studebat Catilinae, annum vicesimum tertium — non probabile esse virum id aetatis pathicum fuisse, etsi inter Catilinae sodales versaretur.

Sed quamquam modeste in sectatorum illius caterva gessisse se videtur, crebris artibus viri nequam atque improbi, eiusdemque ingeniosi et audacis allectus (ut multi alii iuvenes nobiles) [2]), neque ipsi adversarii nisi dubitanter in iudicio contenderunt participem eum coniurationis fuisse [3]), tamen ei placuit anno insequenti (62) Roma relicta in Africam Q. Pompeio pro consule contubernalem proficisci, in qua provincia possessiones paternae erant [4]). Is Q. Pompeius Rufus [5]) praetor a^0 63, ante Kal. Novembres [6]) senatus decreto Capuam missus ad bellum servile coercendum, non multo ante finem anni 62 in urbem redire atque inde in provinciam pro consule ire potuit. Itaque Caelius per annum 61 in eius cohorte praetoria

---

[1]) Sall. b. Cat. XIV, 7: „*scio fuisse nonnullos, qui ita existimarent iuventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse.*" [2]) p. Cael. § 12 [3]) Ibd. § 15. [4]) Ibd. § 73. [5]) Sall. b. Cat. XXX, 5. [6]) Cic. in Cat. I 3, 7.

versatus esse et anno proximo 60, postquam in Africa usum quendam provincialem sibi paravit, in urbem redisse videtur, „Pompeii, viri castissimi et omnis officii diligentissimi iudicio probatissimus" [1]).

Romam reversus viam ingressus est, quam multi adulescentes ad gloriam sibi pariendam inierunt, et eloquentia sua fretus una cum Q. Fabio Maximo [2]) et C. Caninio Gallo [3]) C. Antonium Hybridam sub finem anni 60 [4]) repetundarum reum fecit. Antonius autem, Ciceronis in consulatu collega, clam Catilinae consiliis faverat, sed a Cicerone, qui ei Macedoniam provinciam concessit, perpulsus erat, ne contra rem publicam sentiret [5]). Quare in proelio apud Pistoriam facto simulans se pedibus esse aegrum [6]), M. Petreio legato exercitum permiserat. Macedoniam deinde provinciam tantopere vastavit et spoliavit, ut, nisi Cicero impedivisset, ex ea Romam revocatus esset [7]). Talis igitur hominis nomen iam, priusquam ille in urbem rediit, ad praetorem Cn. Lentulum [8]) detulit Caelius et cum ceteri accusatores de mala provinciae administratione agerent, ipse praesertim in crimine coniurationis operam suam consumere voluit. Ipsa autem causa acta est a⁰ 59, initio mensis Martii [9]). Eo ipso die, quo P. Clodius traductus est ad plebem ex voluntate Caesaris, Cicero Antonium invito Caesare defendit a criminibus adulescentis, qui viginti sex annos natus virum consularem petere ausus erat [10]). Neque Caelius solum coniurationis societatem criminabatur, sed etiam ea, quae Antonius in Macedonia gesserat, perstrinxisse videtur. Ad eam partem orationis pertinere arbitror fragmentum, quod Quintilianus laudat, unde appareat, quam peritus Caelius fuerit artis in rem praesentem perducendi audientes [11]). Antonius causa cecidit atque Cephalleniae in exsilio

---

[1]) p. Cael. § 73. [2]) Cic. in Vat. § 28. [3]) Val. Max. IV 2, 6. [4]) Cic. ad Att. II 2, 3: „*sed heus tu, ecquid vides Kalendas venire, Antonium non venire? iudices cogi?* [5]) Sall. b. Cat. XXVI § 4. [6]) Ibd. LIX, 4. [7]) Cic. ad Att. I 12, 1; ad fam. V 6, 3. [8]) Cic. in Vat. § 27. [9]) Dio C. XXXVIII 10; de dom. § 41; ad Att. II 12, 1; Wieschhölter p. 16. [10]) p. Cael. 47: „*an hic si .... consularem hominem admodum adulescens in iudicium vocavisset?*" [11]) Quint IV 2, 123: „qualis est illa M. Caeli in Antonium descriptio: *namque ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis praecordiis stertentem, ructuosos spiritus geminare, praeclarasque contubernales ab omnibus spondis transversas incubare et reliquas circumiacere passim. Quae tamen exanimatae terrore, hostium adventu percepto, excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, frustra a cervicibus tollebant, blandius alia ad aurem invocabat, vehementius etiam nonnulla*

coniurationis et iniuriarum poenas dedit[1]), Caelius victoriam Ciceroni quidem molestam, sibi tamen gloriosam consecutus est.

Iam aderat tempus — sic pergit Cicero vitam Caeli enarrans (§ 18) — quo „per aetatem magistratus petere posset", quare „non modo permittente patre, sed etiam suadente ab eo semigravit et cum domus patris a foro longe abesset, quo facilius Ciceronis et Crassi (qui et ipsi in Palatio habitabant) domus obire et ipse a suis coli posset, conduxit in Palatio non magno domum". Haec omnia a Cicerone ficta vel saltem ad reum excusandum in melius esse mutata videntur. Nondum enim Caelio viginti sex annos nato (a⁰ 59) magistratus per leges petere licebat nisi tribunatum militarem[2]), sed Ciceronem hunc magistratum significasse vix credendum est. Malim putare oratorem hanc migrationis causam commentum esse, ut veram tegeret, et de magistratibus petendis et honorum cupiditate disseruisse, cum probe sciret Caelium amore Clodiae captum a patre semigrasse et aedes P. Clodi, Clodiae fratris, decem milibus HS vel pluris in Palatio conduxisse[3]), Clodiae vicinas.

Clodia autem, quam Catullus falso nomine Lesbiam appellans carminibus suis celebravit, mulier erat pulcherrima, cuius flagrantia oculorum ipsum Ciceronem aliquando[4]) moverat, eademque libidinosissima. Eo ipso anno (59) Q. Caecilio Metello Celere marito mortuo, vidua facta, omni flagitio et turpitudini domum suam patefecerat. Conveniebant eo adulescentes nobilissimi, inter quos Catullus principem in familiaritate eius locum obtinebat. Sed mulier varia et mutabilis, postquam vultum oculosque Caeli adulescentis candidi et proceri aspexit, amore eius deperibat, neque ille eius dona sprevisse videtur, quamvis multis verbis Cicero contrarium iudices edocere studeat[5]). Tum Catullus ab amica dimissus et repudiatus, acerbissimis versibus in Caelium, pristinum amicum,

---

feriebat; quarum cum omnium vocem tactumque noscitaret, proximae cuiusque collum amplexu petebat, neque dormire excitatus neque vigilare ebrius poterat, sed semisomno sopore inter manus centurionum concubinarumque iactabatur." IX, 3, 58: „ut Caelius in Antonium: *stupere gaudio Graecus."* 1) Strabo X 455; Cic. p. Cael. § 18. 2) Mommsen SR. I p. 10, a. 1; p. 545; Francken, Mnem. VIII p. 209. 3) p. Cael. § 17. 4) Cic. ad Att. II 9, 1; Plut Cic. 29. 5) p. Cael. § 36: „*calcitrat, respuit, non putat tua dona esse tanti."*

invectus est „pestem amicitiae et crudele venenum vitae suae" eum appellans, quod familiaritate abusus esset, ut omnia bona poetae eriperet [1]). Atque tanta ira incensus est, ut conviciis et opprobriis eum consectaretur, hircum male olentem eum vocans [2]).

Caelius per biennium libidinum voluptatum conviviorum Clodiae particeps fuit. Non solum in urbe Roma, sed etiam Baiis luxuriosae vitae cum muliere impudica tali modo se dedit, ut accusatores postea amores adulteria comissationes alia exprobrarent, nocte eum matronas a cena redeuntes attrectasse dicerent, multoque magis vitam privatam eius premerent quam illa crimina, quibus in ius vocatus erat [3]). Neque vero Cicero totam hanc accusationem fictam esse perhibere poterat, sed omnia rumoribus in maius esse celebrata demonstrare studuit et cum Caeli aetatem excusavit, tum aliorum adulescentium, qui post iuventutem voluptatum plenam viri se ad bonam frugem recepissent, exemplis usus est [4]).

Tandem aliquando postremis anni 57 mensibus Caelius ex voluptatum ac flagitiorum voragine, in quam se ingurgitaverat, emersit totumque se extulit [5]) et nova aliqua accusatione famam suam restituere et rumores sermonesque infamiae desidiaeque suae exstinguere conatus est. Accusavit enim L. Sempronium Atratinum, Ciceronis familiarem, lege Calpurnia ambitus [6]). Atratinus tamen absolutus est, sed Caelius, qui hunc absolutum non patiebatur, eum iterum in iudicium vocavit [7]). In utriusque causae intervallo discidium videtur factum esse inter Caelium et Clodiam, ac si mulieris in amantem inimicitias, quae paulo post ortae sunt, spectamus, probabilius esse videtur illam ab eo quam eum ab illa esse spretum, Caeliumque priorem consuetudinis esse pertaesum. Initio enim anni 56 instigante muliere irata Atratinus filius, qui patris iniuriam ulcisceretur, Caelium accusavit de vi lege Lutatia, ut in tempore Caelius damnaretur neque Atratino patri molestias exhibere posset. Nam de vi, quae quaestio cum civitatis periculo saepe iuncta erat, postpositis aliis iudiciis, etiam diebus festis iudicabatur.

---

1) Catullus C. LXXVII: „*Rufe mihi frustra ac nequiquam credite amico*" ut. 2) Cat. C. LXIX, 5: „*laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur valle sub alarum trux habitare caper.*" Num carmina LIX et LXXI ad eundem spectent, dubium (sed cf. Friedrich in ed. Teubn. recentissima). 3) p. Cael. § 35, 20; Wieschhölter, p. 18. 4) p. Cael. § 28. 5) p. Cael. § 75. 6) p. Cael. §§ 2, 7, 76. 7) p. Cael. § 78.

De hoc iudicio singulari capite (III) fusius et copiosius agam. Hoc loco, ubi curriculum vitae Caelianae tantum dare cupio, commemorare sufficiat Caelium defensum a se ipso, a Crasso, a Cicerone, absolutum esse. Aderant in iudicio pater et mater adulescentis, iam grandes natu, neque Cicero in peroratione ostendere neglexit, quae patris fortuna miserrima futura esset, si filius unicus damnatus esset [1]).

Post hoc iudicium Catullus fortasse cum Caelio in gratiam rediit [2]), sed Clodia gens eum insequi non destitit. Iam initio a^{i} 54 iterum eius nomen delatum est ad Cn. Domitium Ahenobarbum praetorem. Quid causae fuerit, nescimus. Hoc tantum Cicero in epistula ad Quintum fratrem [3]) scribit se vereri, ne Pola Servius, homo taeter et ferus, ad accusationem veniat: Caelium valde oppugnari a gente Clodia. Verum causa omnino non acta esse neque quidquam de fama Caeli detractum videtur, quippe qui biennio post, a^{0} 52, tribunus plebis fuerit [4]).

Quando quaestura functus sit, ignoramus, sed non ante a^{m} 56, cum neque a Cicerone in Caeliana neque ab adversariis mentio eius fiat. Atque si ante hunc annum Caelius quaestor fuisset, Cicero certe, quae praeclare Caelius in quaestura gessisset, iudicibus exponere non omisisset. Neque potuit Caelius per leges, si a^{0} 85 natus est, quaesturam ante a^{m} 55 petere. Itaque si Caelius eo anno iam quaestor fuit, ut Wieschhoelterus vult [5]), anno ante aetatem legitimam illo honore functus est. Sed de ea re nihil certi traditum est. Redeamus igitur ad tribunatum. Initio anni 52 tota Roma perturbata est nuntio caedis Clodi, qui in via Appia a servis Milonis occisus erat. Mox cum Milo, qui paulisper invidiam vulgi vitans ruri moratus erat, confirmato iam animo Romam redisset, Caelius Clodiae genti etiam tum infestus, Miloni contionem dedit, ipse eius causam apud populum egit [6]), a Clodio insidias esse factas Miloni affirmans. Neque miramur Caelium a Cicerone magnopere et in Miloniana et postea in Bruto [7]) laudatum esse, quod amicum Miloni fidelissimum se praebuisset atque a senatu et a

---

[1]) p. Cael. §§ 79, 80; 4. [2]) Cat. LVIII et C, sed Wieschhoelter p. 18 et Friedrich p. 260 et 529 hunc Caelium alium fuisse atque Rufum in LXIX et LXXVII putant. [3]) Cic. ad Q. fr. II 13, 2. [4]) App. b. c. II 22. [5]) p. 27. [6]) Ascon. (Or.) p. 34; Cic. p. Mil. § 91. [7]) p. Mil. l. 1; Brut. § 273.

bonorum causa constanter illis diebus stetisset. Non enim veritus est novis legibus a Pompeio de vi et de ambitu latis obsistere, quod ita privilegium in Milonem ferretur et iudicia praecipitarentur [1]). Et cum pertinacius leges illas vituperaret, eo processit irae Pompeius, ut diceret, si coactus esset, armis se rem publicam defensurum. Idem, cum apud Pompeium propinqui Clodi servos Milonis eiusque uxoris in quaestionem postularent, Clodi familia eiusque comitum sibi ut daretur, a consule postulavit [2]), neque minus cum Galatam, servum Milonis fugitivum, a triumviro capitali domi custodiri neque ad Milonem remitti audisset [3]), eum ausus est collega Manilio adiuvante e domo triumviri ereptum Miloni reddere, metuens ne contra dominum testimonium exhiberet. Paulo post Milonis damnationem (a⁰ 52) lege Pompeia M. Saufeius, Ciceronis amicus, qui dux fuerat servorum in taberna Bovillana expugnanda et Clodio occidendo, a L. Cassio aliisque accusatus est. Defenderunt eum Caelius et Cicero, qui impetrarunt, ut absolveretur, quamvis una modo sententia [4]). Ceterum Caelius magis videtur contionando et accusando quam defendendo praestitisse; etenim Cicero eius defensiones „non contemnendas saneque tolerabiles" [5]) dixit.

Praeter illas de ambitu et de vi leges Pompeius hoc anno etiam legem tulit, ne cui absenti magistratum petere liceret [6]). Caesar cum intellegeret se illa lege peti, opera decem tribunorum, qui ei favebant, usus est, ut nominatim exciperetur [7]) ac praesertim per Ciceronem Caelium adiit, ut sibi in hac re morem gereret [8]). Ita Cicero primus Caelium impulit, ut Caesari studeret, cum postea eum paeniteret discipulum suum ad has partes transisse [9]).

Tribunatu perfunctus, initio a^{i} 51 Q. Pompeium Rufum, Sullae dictatoris ex filia nepotem, qui collega eius fuerat, de vi accusavit, quod is plebem seditiosam in Milonem incitasset, deinde altera contione habita Miloni et Ciceroni insidias parasset, famamque distulisset servos et libertos Milonis ad Cn. Pompeii caedem comparatos esse [10]). Rufus autem damnatus Baulos, quod oppidulum est prope Cumas, in exsilium abiit, unde Caelium inimicum per

---

1) Ascon. p. 37. 2) Ascon. p. 35. 3) Ascon. p. 38. 4) Ascon p. 54; Cic. ad Att. VI 1, 10. 5) Cic. Brut. § 273. 6) Suet. Caes. 28; Dio C. 40, 56. 7) Suet. Caes. 26; 28; Cic. ad Att. VIII 3, 3. 8) Cic. ad Att. VII 1, 4. 9) Id. ad Att. VII 3, 6. 10) Ascon. p. 34, 38, 43, 50; Val. Max. IV 2, 7; Dio C. XL 45; 55.

litteras certiorem fecit se propter matris avaritiam, quae sibi praedia fidei commissa non redderet, magnopere egere [1]). Neque Caelius, qua erat benevolentia, inimico esurienti subvenire dubitavit [2]).

Erat idem annus, quo Cicero Ciliciam provinciam pro consule sortitus, sub finem m. Aprilis vel initio m. Maii Roma profectus est. Cumis tenus eum comitatus est Caelius promisitque omnes res urbanas diligentissime se ei perscripturum, maiores et graviores ipsum, minores et leviores per Chrestum libertum [3]). Et Cicero amici scientiam rei publicae magni faciebat eique multum tribuebat, dicens se neminem Caelio *πολιτικώτερον* cognosse. Erat enim is qui longe in posterum prospiceret neque modo praesentem rei publicae formam aliis proponere, sed etiam, quale aedificium futurum esset, demonstrare posset. Magni igitur momenti sunt epistulae, quas a^is^ **51** et **50** ad Ciceronem misit, quae continentur libro octavo epist. ad fam. Quae ad eas Cicero respondit, libro II ad fam. 8—16 inveniuntur. Paucae modo interierunt [4]).

Eodem anno **51** aedilitatem petebat Caelius et exeunte mense Sextili una cum M. Octavio aedilis curulis factus est, „cum summa voluntate bonorum", ut Cicero addit [5]). Iam ante rogaverat amicum, ut sibi designato aedili pantheras ex Cilicia mitteret ludorum causa, et omnibus fere litteris easdem iterabat preces [6]). Quare Cicero satis molestum hoc mandatum arbitratus, ei ridens respondit miram esse paucitatem pantherarum: eas querentes, quod nihil cuiquam insidiarum in Cilicia nisi sibi fieret, in Cariam constituisse decedere [7]). Noluit enim proconsul, quod existimatione sua alienum putabat, Cibyratas, ut Caelius cupiverat, imperio suo publice venari [8]). Alterum negotium, quod Ciceroni imposuerat,

---

1) Cic. ad fam. VIII 1, 4; Val. Max. l. l.; V 3, 4. 2) Eodem anno, m. Septembri, M. Tuccium, a Sempronio Rufo lege Plotia de vi accusatum, defendit et periculo liberavit, Cic. ad fam. VIII 8, 1. 3) Cic. ad fam. VIII 1, 1—2; II, 8, 1. 4) Anno 51 Caelius scripsit VIII 1. 2. 3. 4. 5. 9. 8. 10 et Cicero II 8. 9. 10. Anno 50 Caelius VIII 6. 11. 7. 13. 12. 14, Cicero II 14. 11. 13. 12. 15. Cf. Wieschhölter p. 32—38; 40—45; O. E. Schmidt, Briefwechsel des M. Cicero von seinem Prokonsulat in Cilicien bis zu Caesar's Ermordung, p. 74, 79, 83, 86—88. F. Antoine, Lettres de Caelius à Cicéron, Introduction p. 36. 5) Cic. ad fam. VIII 2, 2; 3, 1; 4, 3; 9, 1; II 9, 1; Brut. 273. 6) Cic. ad fam. VIII 2, 2; 4, 5; 9, 3; 8, 10; 6, 4. 7) Cic. ad fam. II 11, 2; Plut. Cic. 36, 3. 8) Cic. ad Att. VI 1, 21.

sc. ut a Sittio quodam in provincia pecuniam illi a Caelio mutuam datam exigeret, feliciter confecisse videtur [1]). Praeterea in epistulis saepius mentio fit Appii Claudii illius, cui Cicero in provinciam successerat. Is a Dolabella, cui filia Ciceronis sponsa erat, maiestatis accusatus inimicitias soceri metuebat, quare Caelius Appio favens causam eius apud Ciceronem agebat [2]).

Aedilis (a⁰ 50) cum aquariis pugnavit, qui ex ductibus publicis aquam in privatorum hominum usum derivarant neque prohibuerant, quominus possessores agrorum adiacentium ductus perforarent et aquam publicam suum in commodum deducerent [3]). In senatu vero optime de Cicerone meruit, strenue operam dans, ut supplicationes ei decernerentur [4]). Ludos Circenses edens, in quibus fortasse usus est bestiis, quas Curio ei dederat [5]), difficultate nummaria laborasse videtur, quare ab Appio censuram tum gerente auxilium imploravit, eum sibi gratiam debere et relaturum esse putans. Quae spes eum frustrata est, nam Appius non modo pecuniam non dedit, sed tam ingratum se praebuit, ut cum Caelii inimicis foedus iniret et per Polam Servium accusatorem lege Scantinia de nefanda Venere eum postularet. Caelius tamen statim approbante populo Appium eadem lege postulavit. De utriusque causae eventu nihil compertum habemus [6]), nisi quod non sine causa suspicamur Caelium non omnino huius flagitii expertem fuisse [7]). Neque Appius gravatus est eundem nota censoria perstringere, quod Antonio auguratum petenti contra L. Domitium Pompeii ipsiusque amicum favisset [8]). Quo factum est, ut Caelius auxilium ab altero censore, Appii collega, L. Pisone petens ad eum, qui a Caesaris partibus stabat, se conferret. Diu tamen extrema huius anni 50 parte secum reputavit, cum mox bellum civile erupturum videret, quid consilii caperet, utrum Pompeium an Caesarem sequeretur [9]). Illum penitus noverat hominem „aliud sentientem et loquentem neque tantum ingenio valentem, ut non appareret, quid cuperet" [10]). Deinde „homines in dissensione

[1]) Cic. ad fam. VIII 2, 2; 4, 5; 9, 3; 8, 10; 11, 1; ad Att. VI 1, 21. [2]) Cic. ad fam. VIII 6, 1; 6, 5; II 3, 2; III 10, 5; VIII 12, 1. [3]) Cic. ad fam. VIII 6, 4; Front. de aqu. II 76. [4]) Cic. ad fam VIII 11, 1; II 15, 1. [5]) Cic. ad fam. VIII 9, 3; 8, 10. [6]) Cic. ad fam. VIII 12, 1—3. [7]) Cic. ad fam. II 15, 5; VIII 7, 2. [8]) Cic. ad fam. VIII 12, 1; 14, 1. [9]) Cic. ad. fam. VIII 14, 2—3. [10]) Cic. ad fam. VIII 1, 3.

domestica debere, quamdiu civiliter sine armis certaretur, honestiorem sequi partem, ubi ad bellum et castra ventum esset, firmiorem, et id melius statuere, quod tutius esset; Pompeium senatum eosque qui res iudicarent secum habiturum, ad Caesarem omnes, qui cum timore aut mala spe viverent, accessuros; exercitum conferendum non esse; omnino satis spatii superesse ad considerandas utriusque copias et eligendam partem" [1]), haec omnia secum agitabat.

De industria verba ipsa Caeli ex eius epistula affero, ex quibus dilucide appareat, quibus rebus et argumentis adductus Caesaris amicitiam petiverit. Pompeii causam probabat, amicos eius oderat, sed cum Caesaris causae minus studeret, familiares eius amplectebatur et ipse aere alieno obrutus facile in hanc partem se inclinabat [2]). Neque mirum, si Cicero frustra eum adhortatus est, ut Pompeio se daret [3]). Immo iam a. d. V Idus Decembris consilium certum cepisse atque ad Caesaris partes se applicasse videtur [4]). Kalendis Ianuariis proximi anni 49 in senatu sententiam M. Calidii paucis rebus mutatis secutus est. Is autem censuerat, ut Pompeius in suas provincias proficisceretur, ne qua esset armorum causa: timere Caesarem ereptis ab eo duabus legionibus, ne ad eius periculum reservare et retinere eas ad urbem Pompeius videretur [5]). Cum tamen senatus decrevisset, ut ante certam diem Caesar exercitum dimitteret, si non faceret, eum adversus rem publicam facturum videri, M. Antonius, Q. Cassius, C. Curio, tribuni plebis, postquam frustra senatus consulto intercesserunt, ex urbe profugiunt seseque ad Caesarem Ariminum conferunt [6]) et una cum iis M. Caelius. Is tamen non prius ex urbe profectus est, quam Ciceronem noctu adiit, cui iam antea obviam venerat in Cumanum, cum ex provincia redisset [7]). In utroque conventu Ciceronem movere studuit, ut ad partes Caesaris accederet, sed ille urbem relinquere et bello civili interesse noluit [8]). Attamen amici separati alter ad alterum litteras dare non desistebant. In epistula a. d. VII Id. Martias scripta Caelius, qui in castris Caesaris versabatur, Ciceronem

---

[1]) Cic. ad fam. VIII 14, 3. [2]) Cf. p. XII. Vell. II 68, 1: „peior illi res familiaris quam mens erat." [3]) Cic. ad fam. II 8, 2. [4]) Cic. ad Att. VII 3, 6. [5]) Caes. b. c. I 2, 3—4. [6]) Ibid. 5, 6; 8, 1; Dio XLI 2, 1; 3, 2; Oros. VI 15, 2 [7]) Cic. ad fam. VIII 17, 1; II 16, 3. [8]) Cic. ad fam. II 16, 3; ad Att. VII 3 6; Brut. § 273 s. f.

certiorem facit se mox a Caesare Intimilium in Liguriam missum iri cum cohortibus ad seditionem aliquam coercendam. Iocatur de hoc itinere, quod sibi Alpes versus per nives faciendum sit, ridetque Pompeium, qui urbe relicta Brundisium fugerit. Sed iam tum ostendit, cum gloriam Caesaris victoris „ad se nihil pertinere" dicit, quodammodo ea spe se esse deiectum, quam ad Caesarem fugiens conceperat [1]). Iuvenis enim honoris cupidissimus, ex aere alieno laborans, ab imperatore non ea accepisse videtur, quae animo suo proposuerat, cum se ei aggregavit. Alia epistula data est Intimili a. d. XVI Kal. Maias, in qua Caelius sollicitus de familiaris sui consiliis, etiam atque etiam eum monet, ne se suosque funditus evertat ad Pompeium transeundo; sed ut aliquod oppidum vacuum a bello eligere malit, dum certamen decernatur. Et in eandem sententiam scriptae sunt litterae, quas Caesar a Caelio rogatus eodem tempore misit ad Ciceronem [2]). Paulo post Caelius cum Caesare in Hispaniam profectus est ad bellum cum Afranio et Petreio gerendum. In epistulis, quas hoc mense Maio Cicero ad Atticum dedit [3]), saepius sermo est idque verbis obscuris de consilio aliquo Caeliano. Schmidtius [4]) autem hoc modo tecte significari putat, id quod Caelius in epistula, cuius exemplum ad Atticum missa erat [5]), iam de Cicerone coniecerat, sc. ei in animo fuisse ad Pompeii castra transire, sed alii, velut Wieschhoelterus (p. 47, ann. 7), de tumultu aliquo illa verba Ciceronis interpretantur, quem Caelius contra Caesarem iam tum moturus esset.

Mense Novembri cum Caelius ex Hispania Romam redisset, Caesar constituit, quod fides tota Italia esset angustior neque creditae pecuniae solverentur, ut arbitri darentur, per quos fierent aestimationes possessionum et rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuisset, atque hae creditoribus traderentur [6]). Quod decretum omnem spem tabularum novarum et aliis et Caelio adimebat. Proximo tamen mense ei contigit, ut comitiis habitis [7]) praetor crearetur [8]). Sed praeturam urbanam Caesar C. Trebonio dedit, qui Massiliam

---

[1]) Cic. ad fam. VIII 15, 1—2. [2]) Cic. ad fam. VIII 16, 1—5; responsum Ciceronis II 16; epistula Caesaris cf. ad Att. X 8 B. [3]) Cic. ad Att. X 12 B, 2—3; 14, 3; 15, 2; 16, 4. [4]) p. 179. [5]) Cic. ad. Att. X 9 A = ad. fam. VIII 16. [6]) Caes. b. c. III 1, 2. [7]) Ibid. 2, 1. [8]) Dio C. XLII 22.

expugnarat quemque pluris quam Caelium aestimare videbatur [1]), Caelius autem iurisdictionem, quae inter cives et peregrinos erat, accepit. Ita Trebonius non sorte, ut fieri ante solebat, sed Caesaris voluntate urbanus praetor factus est, quod Caeli iram movit. Iam statim initio magistratus [2]) (a^0 48) tribunal suum iuxta C. Treboni sellam collocavit, et si quis appellavisset de aestimatione et de solutionibus, quae per arbitrum fierent, fore auxilio se pollicebatur. Sed fiebat aequitate decreti et humanitate Treboni, ut reperiri non possent, a quibus initium appellandi nasceretur. Tum Caelius, ne frustra ingressus turpem causam videretur, legem promulgavit, ut sexenni die sine usuris creditae pecuniae solverentur. Cum resisteret P. Servilius Isauricus consul reliquique magistratus et opinione minus efficeret, ad hominum excitanda studia sublata priore lege duas promulgavit, unam qua mercedes habitationum annuas conductoribus donavit — quae lex anno insequenti a Dolabella denuo promulgata (a^0 47), ab ipso Caesare perlata est [3]) — alteram tabularum novarum. Deinde multis ex plebe sibi adiunctis impetu in Trebonium facto eum de tribunali deturbavit et paene interfecit, nisi veste mutata per multitudinem effugisset. Tum vero Servilius militibus, qui forte ad urbem erant, arcessitis senatum consuluit de re praesenti, sed intercessione tribunorum nihil aliud efficere poterat, nisi ut ex senatus auctoritate ministros iuberet tabulas legum a Caelio promulgatarum refigere. Cum Caelius illos reppulisset ipsique consuli periculum intendisset, is rursus custodibus additis ad senatum rettulit senatusque Caelium a re publica removendum censuit [4]). Hoc decreto eum consul senatu prohibuit et contionari conantem de rostris deduxit sellamque eius curulem fregit, quae eius officia fuerant, alii praetori mandans. Tum vero Caelius ne eo quidem tempore a iocis abhorrens, alteram posuit sellam loris intentam; dicebatur autem consul a patre flagris aliquando caesus [5]). Mox tamen ignominia et dolore permotus palam se proficisci ad Caesarem simulavit, consulemque (in custodia enim habebatur neque clam aufugere volebat, ne ita praeturae dignitatem amitteret) oravit, ut ad Caesarem abire sibi liceret, quod ei

---

[1]) Cic. ad Att. VII 17, 3. [2]) Caes. b. c. III 20 sqq.; Dio XLII 22—25. Ad hoc tempus pertinet Caelii epistula, ad fam. VIII 17. [3]) Dio C. XLII 32; 51. [4]) Mommsen SR. I 262, 4. [5]) Quint. VI 3, 25.

se purgare vellet. Servilius quamquam eum alia dicere, alia mente agitare suspicabatur, tamen nomine Caesaris motus eum dimisit custoditum a tribuno plebis, ut, si rebus novis studeret, prohiberetur. Erat tum in Campania Milo, qui sive a Caelio Massilia evocatus, ut Caesar tradit, sive sponte sua profectus, ut Dio narrat, Caesarique iratus, quod solus ex omnibus exsulibus ab eo non in patriam restitutus esset, quoscumque ex aere alieno laborare arbitrabatur, missis litteris sollicitabat, iussu atque imperio Pompei se agere fingens, Capuamque oppugnabat. Cum autem Caelius et tribunus in Campaniam venissent et Milonem clade apud Capuam accepta in Tifata montem fugisse comperissent, noluit Caelius longius progredi, tribunus vero eum Romam reducere cupiebat. Quae postquam consul cognovit, Miloni bellum indixit, Caelium in agro suburbano manere iussit, ne quid contra rem publicam susciperet. Is tamen, ut praetor scilicet, non satis accurate custoditus ad Milonem fugit, et tumultum concitasset, si vivum Milonem repperisset. At cum ille iam Campania expulsus in Apulia perisset, Caelius in Bruttium se contulit, ubi, antequam quidquam grave moliri posset, ab iis, qui Caesaris rebus favebant, interfectus est [1]).

Talis erat exitus viri, qui multis et corporis et animi virtutibus inter aequales suos floruerat. Erat corpore procero et candido, vultu oculisque blandis et venustis, et (quod rarum in Romanis) saltandi studiosus peritusque [2]). Animum studiis honestis et liberalibus aluerat [3])

---

1) Rem enarravi, ut a Dione tradita est. Ab eo paulum differt Caesar (b. c. III 21—22), quo auctore Caelius Milonem Massilia in Italiam evocavit, ut iam supra demonstravi, quia magnis muneribus datis gladiatoriae familiae reliquias habebat, eumque in *agrum Thurinum* praemisit. Tum Milo ergastulis quibusdam solutis Cosam in agro Thurino oppugnare coepit, ubi lapide ex muro ictus periit. Porro si Caesari fidem habemus, Caelius cum Casilinum, in oppidum Campaniae, venisset, unoque tempore signa eius militaria atque arma Capuae essent comprensa et familia Neapoli missa, quae proditionem oppidi appararet, patefactis consiliis exclusus Capua et periculum veritus, quod conventus arma ceperat atque eum hostis loco habendum existimabat, consilio destitit atque eo itinere sese avertit. Deinde profectus, ut dictitabat, ad Caesarem pervenit *Thurios*, ubi ab equitibus Caesaris Gallis et Hispanis interfectus est. Cf. Liv. Per. 111; Vell. Pat. (II 68, 1) Caelium circa Thurios, Milonem Compsam in Hirpinis oppugnantem cecidisse refert. Oros. VI 15, 10; Hieron. ad Eus. II 137 r (Schöne). 2) p. Cael. §§ 6, 36; Gell. XVII 1, 4; Macr. Sat. III 14, 15. 3) p. Cael. § 44; ad fam. II 10, 3.

eloquentiaeque ita Cicerone duce studuerat, ut inter primos aetatis suae oratores haberetur [1]). Multum ingenii in eo inerat multaque urbanitas praecipue in accusando, sed non solum ingenium in eius orationibus elucebat, verum etiam ratio quaedam bonis artibus instituta et cura vigiliisque elaborata in iis perspiciebatur [2]). Oratio eius, quamvis non tam polita quam Ciceronis et nonnunquam antiquitatem redolens, tamen erat splendida et grandis et imprimis faceta [3]). Peritissimus erat artis auditores in rem praesentem perducendi neque in descriptionibus quisquam credibilius Caelio poterat res fingere neque manifestius ostendere [4]). Pro indole sua et natura acri et ferventi in dicendo erat saepe iracundus, asper, amarus [5]), magisque in accusationibus placebat [6]) quam in contionibus et defensionibus, quare Cicero eum „bonam dextram, malam sinistram habere" dictitabat [7]). Quod ad epistulas septendecim attinet, quae bona fortuna in corpore epistularum Ciceronis nobis servatae sunt, in illis passim sermo simplicior, liberior, solutior magisque ad cotidianum loquendi usum accedens reperitur quam in Ciceronis, sed non desunt litterae, in quibus genus dicendi gravius et perfectius exstiterit [8]). Imprimis tamen laudanda est urbanitas earum et lepos scriptorisque facultas acute de hominibus et rebus iudicandi.

Attamen Caeli virtutibus magna obstabant vitia. Nam etiamsi tempus adulescentiae silentio praeterimus, quo „fama eius paulum haesit ad metas notitia nova mulieris", tamen ne postea quidem lasciviam et luxuriam vivendi libidinesque repressit, sed ingentibus sumptibus patrimonium profudit magnumque aes alienum contraxit. Accedebat, ut in re publica nimis ambitiosus esset nimisque suis commodis inserviret, neque certas rationes agendi sequens ad eas partes inclinaret, quae tutiores et utiliores sibi viderentur. Postremo

---

[1]) Col. praef. I 30; Tac. dial. 17; Quint. XII 10, 11; Plin. ep. I 20, 4. [2]) p. Cael. § 45; Quint. X 1, 115. [3]) Tac. Dial. 21; Cic. Brut. 273. [4]) Quint. IV 2, 123—124. [5]) Tac. Dial. 25; Sen. de ira III 8, 6; Quint. X 2, 25. [6]) Cic. Brut. § 273: „acres accusationes tres", sc. in Antonium, in Atratinum, in Pompeium Rufum. Sed Plin. h. n. 27, 2, 4 non ad *Caelium*, sed ad *Caecilium* spectat, Nipperdey Mus. Rhen. 19, p. 289, a. 2. [7]) Quint. VI 3, 69. Fragmenta orationum Caeli collecta a Meyer Oration. Rom. fr.² 458—479. [8]) Becher, Ueber den Sprachgebrauch des Caelius Rufus, Prog. Ilfeld 1888; Burg, de M. Caeli Rufi genere dicendi, diss. Leipzig 1888; Antoine, Introduction p. 51—70.

cum ex omnibus difficultatibus emersisse atque iam ad summam fortunam se pervenisse arbitraretur, spe sua lapsus, quod Caesar voluntati obaeratorum amplius indulgere noluit, non sibi temperavit, quin per gladiatorum et latronum manus ea petere pararet, quae frustra per Caesaris amicitiam quaesiverat.

Ita annos natus triginta septem cecidit vir „dignus cui et mens melior et vita longior contigisset" [1]).

---

[1]) Quint. X I, 115.

CONSPECTUS VITAE M. CAELI RUFI.

II. DE CAELIANA.

Exeunte anno 57 Caelius, ut supra demonstravimus, L. Sempronium Atratinum, Ciceronis familiarem, lege Calpurnia de ambitu accusaverat[1]. Hac accusatione rumores malevolos infamiamque, qua propter Clodiae familiaritatem flagrabat, exstinguere famamque suam restituere se posse sperabat. Atratinus tamen absolutus est, quo facto Caelius iterum eius nomen ad praetorem detulit initio anni 56[2]. Tum Atratinus filius, adulescens non amplius septendecim annos natus[3], ut patrem periculo liberaret, simul a Clodia, quae a Caelio desertam se esse aegre ferebat, incitatus Caelium lege Lutatia de vi accusavit[4]. De vi enim, quae quaestio cum civitatis periculo saepe iuncta erat, postpositis aliis indiciis, etiam diebus festis iudicabatur[5], quare Atratinus, si Caelius in tempore damnatus esset, eum non amplius patri molestias exhibiturum sperabat. Praeter Atratinum filium subscriptores erant L. Herennius Balbus[6] et P. Clodius[7]. Accusabatur autem Caelius, quod Neapoli seditiones contra rem publicam movisset, quod in Pallae cuiusdam bonis male versatus esset, quod Puteolis legatos Alexandrinos pulsasset, quod Dionem, illius legationis principem, vita privare per servos auro Clodiae corruptos conatus esset, denique quod ipsi Clodiae venenum parasset[8]. Quorum criminum seditio illa Neapolitana et pulsatio Puteolana proprie ad quaestionem de vi pertinebant, sed aurum a Clodia ad Dionem interficiendum acceptum

---

1) Pag. VIII. 2) Zumpt, Criminalproces 532. 3) Teuffel GRL § 209, 10. 4) p. Cael. §§ 23, 51, 70. 5) Cic. ad fam. VIII 8, 1; Schol. Bob. p. 368 Or. 6) p. Cael. §§ 25, 27, 56; Teuffel GRL. § 202, 5. 7) p. Cael. § 27. Eundem esse atque tribunum illum plebis, Clodiae fratrem, putant et alii et v. cl. F. Münzer, ut me per litteras certiorem fecit: „die Bezeichnung als *amicus meus* ist dann ironisch und die ganze Behandlung dieses Anklägers gerade in ihrer Kürze eine besonders verächtliche." Cf. Wieschhölter p. 22, ann. 4. Quare ipse censeam alium Clodium significatum esse, in commentario demonstrabo. 8) p. Cael. §§ 28, 51 sqq.

et conatus ipsius Clodiae veneno necandae potius ad quaestionem de sicariis et veneficis referenda erant. Defensionem autem susceperunt ipse Caelius et M. Crassus et Cicero. De Caeli oratione nihil aliud nobis notum est, nisi quod in ea Clodiam deridens „quadrantariam Clytaemnestram" et „in triclinio coam, in cubiculo nolam" dixit, et unum ex amicis eius, fortasse Clodium fratrem, „Peliam cincinnatum" appellavit, et ipsi Atratino, cuius Cicero eloquentiam laudat, actionem a L. Plotio Gallo dictatam esse obiecit [1]). Certo ille primus verba fecit. Deinde M. Crassus eam partem causae egit, quae de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana, de bonis Pallae erat [2]). Cum eius oratio non ad nos pervenerit, quid Caelius in bonis Pallae [3]) deliquerit, nescimus, neque quales seditiones Neapolitanae [4]) significentur, liquet. Plura tamen nobis tradita sunt de Alexandrinis illis [5]). Erant legati centum, qui iam a^0. 57 duce Dione Academico, viro nobilissimo et eruditissimo, domo Romam profecti erant, ut apud senatum quererentur de vi et iniuriis regis sui Ptolemaei Auletae, qui civium suorum iram timens ad Romanos fugerat, ut eorum auxilio in regnum suum restitueretur. Rex autem domo Pompeii Magni Romae receptus et inde omnia facinora tuto se perpetraturum ratus, legatis, priusquam Romam advenirent, insidians plerosque eorum per ministros in itinere interfecit, reliquos partim in ipsa urbe necandos curavit, partim vel timore perterritos vel auro corruptos permovit, ne magistratus Romanos adirent et mandata perficerent, neve ullam mentionem facerent eorum, qui perissent. Postquam res percrebruit multique senatores indigne tulerunt legatos sociorum populi Romani occisos esse, et Dio, legationis princeps, arcessitus est, ut verum aperiret, Ptolemaeus largiendo id effecit, ut neque Dioni senatus daretur neque omnino de caede legatorum referretur. Quin etiam Dionem per P. Asicium quendam [6]) e medio sustulit neque eius sceleris poenas dedit. Asicius

---

[1]) Quint. VIII 6, 53. De significatu horum verborum cf. ann. ad p. Cael. §§ 59 et 62; Quint. I 5, 61; Suet. de rhet. 2. [2]) p. Cael. § 23. [3]) Idem nomen legitur apud Dion. XLVII 24, sed alia est mulier. [4]) Etiam postea (a^0 48) Caelius *Neapoli* familiam gladiatoriam mittit Capuam ad proditionem oppidi parandam, Caes. b. c. III 21, 5. [5]) Dio XXXIX 13 et 14; Strabo 17, 1, 11 p. 677 (Müller); Cic. Ac. prior. 2, 4, 12. [6]) p. Cael. § 23.

autem a Licinio Calvo accusatus[1]), a Cicerone defensus[2]) initio anni 56, iudicio liberatus est, Caelium tamen accusatores arguebant a Clodia aurum sumpsisse, quod L. Luccei servis daret, per quos Dio, qui tum apud Lucceium habitabat, necaretur. Fortasse Ciceroni, cum Asicium defendisset, haec quoque pars causae, ut Caelium crimine caedis Dionis purgaret, mandata est, id quod oratori non difficile erat, cum ipse Lucceius aliique amici Dionis testes in iudicio adessent et Caelium omni ex culpa eximerent[3]). Neque minus pronum erat Ciceroni alterum crimen diluere de veneno, quod Caelius per Licinium quendam servis Clodiae ad dominam necandam tradere voluisse dicebatur[4]). Nam eo quod adversarii contenderant Licinium prius e balneis — qui locus inter eum et servos convenerat — aufugisse, quam pyxidem cum veneno servis tradidisset, quia viros a Clodia in insidiis collocatos et ante tempus prosilientes animadvertisset, facilis oratori occasio praebebatur totam hanc argumentationem illudendi et quasi fabulam a Clodia fictam deridendi.

Relinquebatur, ut Cicero, cui causa erat peroranda, vitam et mores Caeli purgaret, in quae accusatores ac praecipue Atratinus adulescens, qui Caelium „pulchellum Iasonem" appellaverat[5]), vehementissime invecti erant[6]). Etsi haec pars criminationis extra causam erat, tamen, ut notum est, haud minus apud iudices antiquos valebat, et cum ea, quae de moribus, de familiaritate Catilinae, de sumptibus Caelio obiecta erant, non omni ex parte ficta essent, maxima opera Ciceroni danda erat, ut ea crimina infringeret, ut rei aetatem excusaret, ut omnem culpam in Clodiam derivaret, quasi illa adulescentem simplicem et imprudentem illecebris suis irretisset. Accedebat quod gravissimae inimicitiae intercedebant Ciceroni cum Clodia eiusque fratre minore. Huius enim lege ex urbe pulsus per annum (a m. Aprili a. 58 usque ad m. Sextilem a. 57) exsilium perpessus erat, illa per id tempus crudeliter in Tulli absentis propinquos se gesserat[7]). Ita ex Ciceronis oratione non magis defensio Caeli quam accusatio Clodiae evasit, quam

---

[1]) Tac. Dial. 21. [2]) p. Cael. § 24. [3]) p. Cael. §§ 24, 55. [4]) p. Cael. § 56. [5]) Ita iocans in Clodiam a Caelio desertam, Chirius Fort. Art. Rhet. III § 7, cf. ann. ad p. Cael. § 18. [6]) p. Cael. § 7. [7]) p. Cael. §§ 32, 50.

non modo Atratinum ad Caelium amatorem infidelem persequendum incitasse, sed etiam Clodium fratrem in perniciem suam antea acuisse putaret[1]). Clodia igitur Caelium a patre alienasse, voluptates, libidines, obscenissima scelera docuisse, participem conviviorum, luxuriae, flagitiorum fecisse, mores eius corrupisse, famam perdidisse dicitur[2]). Mulier poetria, potens, omnium amica, quae se omnibus pervulgavit, domum suam omnium cupiditati patefecit, palam se in meretricia vita collocavit, cum fratre minore cubitavit, coniugem sibi odiosum interemit, eadem illa, si oratori credimus, adulescentem honestum opprimere studuit[3]). Sed Cicero huius mulieris odio flagrans eamque maledictis insectari non desinens, simul nobis in hac oratione dedit imaginem praeclare expressam vitae adulescentium nobilium, qualis ea aetate Romae agebatur. Clodia enim non modo mulier libidinosa, sed etiam festiva, lepida, iocosa, catervas adulescentium circum se habebat, corporis forma et artibus ingenii praestantium. In eo coetu multum erat litterarum, multum venustatis, multum etiam licentiae. Adulescentes voluptatum cupidissimi idemque in re publica ambitiosissimi parum curabant, qua ratione ad propositum pervenirent; ipsa Clodia vitia sua haud occultans, in summa locorum celebritate, praesertim Baiis, cum familiaribus ambulabat, navigabat, cenabat et priscos illos matronarum mores spernens ita se gerebat incessu, ornatu, libertate sermonis, complexu, osculatione, ut indignationem omnium hominum severiorum moveret. Ac si ex illa adulescentium sodalitate exemplum luculentum ante oculos nobis proponere cupimus, vita Caeliana a Cicerone depicta nobis una omnium instar est.

Denique quod ad tempus attinet, quo Caelius accusatus et absolutus est, hoc accurate definiri potest. Ipse enim Cicero Sex. Clodium praefectum operarum P. Clodii paucis ante Caelianam habitam absolutum esse dicit[4]). Quod cum acciderit[5]) mense Martio a[i] 56, pro Caelio oravit Cicero mense Aprili, nempe per dies festos, i. e. Megalenses, ut videtur, qui eius mensis diebus

---

1) Plut. Cic. 29. 2) p. Cael. §§ 13, 18. 3) p. Cael. §§ 64, 32, 38, 49, 36, 78, 59, 60. 4) p. Cael. § 78. 5) Cic. ad Q. fr. II 4, 6 (6, 6).

4—10 celebrabantur. In quibus cum unus tantum sit, quo lege agi possit, quartus, reliqui sint nefasti, apparet Caelianam habitam esse pridie Nonas Apriles (= die IV mensis Aprilis)[1]. Sed mirum est Ciceronem, etsi in litteris ad fratrem datis res singulas a se ex pridie Nonas Apriles usque ad Idus Apriles (a⁰ 56) gestas cum eo communicat et Tulliam suam pr. Non. April. Crassipedi esse desponsam scribit[2], nullam omnino mentionem facere Caelianae, quae, si Franckeni computatio recte se habet, in eundem cadit diem[3]. Certo a⁰ 56 — de quo veteres interpretes, velut Manutius et Pighius, dubitabant — Caelius absolutus est. Nam quia M. Crassus, qui mense Novembri aⁱ 55 pro consule in Syriam abiit, reum defendit, manifestum est non Cn. Domitium Ahenobarbum, qui posteriore demum anno praetor fuit, sed Cn. Domitium Calvinum praetorem[4] iudicio praefuisse. Apud eundem quidem a. d. III Id. Febr. L. Calpurnius Bestia, Caeli familiaris[5], de ambitu accusatus a Cicerone defensus erat[6], contra Sestii causa de vi eodem anno paulo post (mense Martio) apud M. Aemilium Scaurum acta est[7]. Itaque Domitius in causa Caeli collegae sui munere functus esse videtur.

Diserte haec accusatio instituta esse dicitur lege Lutatia[8], non Plautia; neque enim per Lutatiam, a⁰ 78 latam, abrogata erat antiquior, a⁰ 89 lata, sed in summo rei publicae discrimine confirmata, adiectis quibusdam de ordine iudicii severiore et breviore[9]. Neque satis causae esse videtur, cur ambae pro una habeantur[10], cum praesertim de lege Lutatia nihil constet aliud nisi quod in Caeliana legitur. Scilicet Lutatia, probata in „armata civium dissensione", sublata causa quare lata esset, aliquamdiu seposita esse videtur, donec „ad fumantes reliquias coniurationis Catilinariae

---

[1]) Francken, Mnem. VIII p. 201; Mommsen C. I. L. I p. 388. [2]) Cic. ad Q. fr. II 5 (Müller), 1—4; fallitur Wieschhoelterus p. 26. [3]) Sed potest sane ad fratrem de iudicio scripsisse in priore epistula, quae iam non servata est, cf. ad Q. fr. l. l.: „ceteraque de re publica privataque perscripseram". [4]) p. Cael. § 32. [5]) p. Cael. § 26. [6]) Cic. ad Q. fr. II 3, 6. [7]) Lange RA III p. 329. [8]) p. Cael. § 70. [9]) Cf. p. Sulla §§ 78, 92 de iudicibus editiciis et de quaestione servorum. [10]) Quod fecit Langius RA II p. 666. Contra Zumpt Crim. II p. 266, Rein Crim. p. 738.

exstinguendas" subito protracta est. Itaque lege aut Plautia aut Lutatia coniurati Catilinae accusati esse dicuntur[1]), sed postulatus est Caelius hac severiore lege, „quae de seditiosis consceleratisque civibus, qui armati senatum obsedissent, magistratibus vim attulissent, rem publicam oppugnassent, cotidie quaeri iuberet." [2])

Iam transeamus ad ipsam orationis dispositionem. Constitutio causae, quae defenditur, est coniecturalis in genere iudiciali, quia constat in remotione criminis[3]). Cum vero haec oratio tertia causae defensio esset, velut in orationibus pro Murena, pro Flacco, pro Sulla, pro Balbo, et sine dubio iam omnes argumentationis fontes a Caelio et Crasso essent exhausti, Ciceronis magis erat iudices movere et delectare quam docere. Hoc tenendum est, si de Caeliana recte iudicare volumus. Unaquaeque vero oratio, quae ad genus iudiciale pertinet, constat vulgo ex quinque partibus, quae sunt exordium, narratio, propositio, argumentatio, conclusio[4]) (addunt nonnulli rhetores partitionem, alii argumentationem in confirmationem et refutationem dividunt), sed Cicero, quod tertius fecit verba, neque minus propter singularem causae indolem ab ordine vulgari decessisse videtur, ut infra videbimus.

I. EXORDIUM (C. I §§ 1—2), in quo Cicero iudicibus persuadere studet id, quod Caelius fecerit, non quadrare in hanc (de vi) quaestionem neque in legem Lutatiam; nullum enim facinus, nullam audaciam, nullam vim in iudicium vocari, sed Atratinum ad hanc accusationem descendisse, vel ut patrem a Caelio iterum postulatum ulcisceretur, vel a Clodia iussum, vel ut ipse hac accusatione laudem sibi pareret, quare adulescenti esse ignoscendum, ceteris (imprimis Clodiae) acriter resistendum. Post hoc exordium non sequitur, ut exspectamus, propositio totius causae et narratio, quae in hac oratione membratim in singulas partes argumentationis inserta est, sed praemunitio, quae dicitur (προπαρασκευή), qua multis oppro-

---

1) Sall. Cat. 31; Cic. ad fam. VIII 8, 1; p. Mil. § 35; Asc. p. 49 K. et S., p. 55 B.; Ps. Sall. in Cic. 2, 3; Schol. Bob. p. 368, 33 (Or.). 2) p. Cael. § 1. 3) G. Oetling Comm. Philol., Göttingae a⁰ 1868 p. 24 sqq.; Cic. de inv. I § 15. 4) Graece: προοίμιον, διήγησις, πρόθεσις, πίστις, ἐπίλογος.

briis, quae ab accusatoribus in vitam Caeli allata erant, orator respondet [1]).

II. PRAEMUNITIO (C. II—XII §§ 3—30[a]): „ac mihi quidem videtur, iudices, hic introitus defensionis adulescentiae M. Caeli maxime convenire, ut ad ea, quae accusatores deformandi huius causa et detrahendae spoliandaeque dignitatis gratia dixerunt, primum respondeam."

1) §§ 3—18 Atratino potissimum Cicero respondet (cf. § 7).
   a) §§ 3—4 de Caeli patre atque filii in patrem pietate.
   b) §§ 5—6[a] de municipibus eius.
   c) §§ 6[b]—9 de eius pudicitia.
   d) §§ 10—15 de familiaritate Catilinae et de coniurationis Catilinariae invidia.
   e) § 16 de ambitu et de criminibus sodalium et sequestrium.
   f) §§ 17—18 de aere alieno et sumptibus; de filii a patre semigratione.
2) §§ 19—24 de testibus qui prodituri erant.
   a) §§ 19—22 de iis, quos accusator dixerat testimonium dicturos de Caeli iniuriis vitaque probrosa.
   b) §§ 23—24 de morte Dionis; de testibus, qui hac in re Caelium purgaturi erant.
3) §§ 25—30 L. Herennio Balbo accusatori, qui Caelium graviter obiurgaverat multaque de intemperantia eius dixerat, Cicero respondet criminationem eius in totam iuventutem, non in unum Caelium cadere. Simul (§ 27) breviter sed acerbe perstringit tertium accusatorem, P. Clodium.

Si hanc praemunitionem accurate perlustramus, in primo membro (1) non modo in ordine criminum repulsorum gradationem inesse,

---

[1]) Quint. IV 2, 27: „erunt quaedam causae (neque id raro) crimine quidem, de quo cognitio est, faciles ad diluendum, sed multis anteactae vitae flagitiis et gravibus oneratae, quae prius amovenda sunt, ut propitius iudex defensionem ipsius negotii, cuius propria quaestio est, audiat; ut, si defendendus sit M. Caelius, nonne optime patronus occurrat prius conviciis luxuriae, petulantiae, impudicitiae quam veneficii, in quibus solis omnis Ciceronis versatur oratio; tum deinde narret de bonis Pallae totamque de vi explicet causam, quae est ipsius actione defensa?"

sed etiam partes infirmiores, ubi de pudicitia et de familiaritate Catilinae sermo est (*c*, *d*), circumclusas esse iis partibus (*a*, *b*; *e*, *f*), ubi certis argumentis crimina dilui poterant, animadvertimus[1]). In secundo membro (2) iam, antequam testes de Caeli vita turpissima ab adversariis producti sunt, orator eos ridet eorumque testimonium infringere conatur. Sed mirandum est, quod altera parte huius membri (2 *b*), commemoratis breviter iis, quae iam a Crasso defensa erant, illa continentur de morte Dionis, quae proprie ad crimen auri, postea (§§ 51—55) Ciceroni refellendum, pertinent. Cuius rei haec mihi causa esse videtur, quod orator de industria hanc defensionem in duas partes dividere voluit, ita ut iam in praemunitione significaret se testimonio virorum proborum, quales Coponii essent, accusationem necis refutaturum, cetera de auro a Clodia accepto ad „argumentationem" ipsam differret, ubi utrumque crimen auri et veneni, ab eadem Clodia profectum, una opera redarguere in animo erat. Sed ipse Cicero sensit se nimis diu morari in praemunitione causae, nam bis (§ 22: „argumentis agemus" cet.; § 25: „ergo haec removeantur, ut aliquando, in quibus causa nititur, ad ea veniamus") ita loquitur, quasi ad ipsius causae explicationem et defensionem transiturus sit. Utroque tamen loco digressionem novam inseruit (§§ 23—24; §§ 25—30) atque ineunte demum capite decimo tertio ipsam argumentationem exorsus est.

III. ARGUMENTATIO (C. XIII—XXIX^a §§ 30^b—69): „sunt autem duo crimina a u r i et v e n e n i, in quibus una atque eadem persona versatur."

1) §§ 30^b—50 Clodia carpitur, vita Caeli excusatur.

a) §§ 30^b—36 de Clodia.

α) §§ 30^b—32 „duorum criminum fons est Clodia. Cum hac sola res est oratori."

β) §§ 33—34. (*προσωποποιΐα*) Appius Claudius Caecus ab inferis excitatus Clodiam obiurgans inducitur.

γ) § 35 (*ἀποστροφή*) ipse Cicero Clodiam alloquitur.

δ) § 36 (*προσωποποιΐα*) Clodius frater Clodiam irridens fingitur, quod ab uno Caelio sperni se moleste ferat.

---

[1]) Cf. Cic. de or. II § 314.

b) §§ 37—50 de consuetudine, quae Caelio cum Clodia fuit, de vita eius et ceterorum adulescentium illius aetatis.

α) §§ 37—38 (προσωποποιΐα duplex) primo pater durus, deinde pater lenis Caelium compellans inducitur, cui conformationis figurae Cicero per occultationen adiunxit morum Clodiae descriptionem amaram.

β) §§ 39—43 adulescentibus vita liberior concedenda est, dummodo se aliquando ad studia optima revocent; haec disciplina confirmatur exemplis multorum virorum fortium.

γ) §§ 44—47ª Caeli vita eam speciem praebet, ut virtutis in eo summa spes sit, cuius rei argumenta sumuntur ab eius studiis eloquentiae summum laborem poscentibus et a gloriae cupidine.

δ) §§ 47ᵇ—50 Caelius excusandus est, quod aliquando cum Clodia consuetudinem habuerit. Clodia enim erat mulier libidinosa, quae magis petebat quam petebatur.

2) §§ 51—69 „duo sunt crimina una in muliere, auri, quod sumptum a Clodia dicitur ad servos Luccei corrumpendos, ut Dionem necarent; veneni, quod eiusdem Clodiae necandae causa parasse Caelius arguitur."

a) §§ 51—55 captiose disputans Cicero contendit aut Clodiam sceleris esse consciam, si Caelius dixerit, quam ad rem aurum sumeret, aut non dedisse, si is hoc non ausus sit dicere. Cui ratiocinationi adiungitur Luccei testimonium Caelium omni culpa liberans.

b) §§ 56—69 „reliquum est igitur crimen de veneno."

α) §§ 56—58 non tam stultus erat Caelius, ut, si Clodiam veneno interimere voluisset, hoc per servos eius facturus fuisset. Quamquam accusatores aiunt eum vim veneni domi expertum esse in servo quodam.

β) §§ 59—60 venit in mentem oratori imago Q. Metelli, Clodiae mariti, qui subito mortuus erat, neque suspicio aberat, quin ab uxore veneno interfecta esset. Et Clodia de veneni celeritate dicere audebit?

γ) §§ 61—66ª ad crimen rediens Cicero in risum vertit ea, quae accusator dixerat: Licinium, Caeli amicum, in balneas, locum cum servis Clodiae constitutum,

venisse et veneni pyxidem illis traditurum fuisse, nisi subito familiares aliqui Clodiae, ab ea in insidiis collocati, prosiluissent; Licinium pyxide non tradita aufugisse.

δ) §§ 66ᵇ—67 si amici illi Clodiae mox testes producti erunt, eos, inquit orator, ad incitas redigam.

ε) §§ 68—69 si servi illi Clodiae manumissi sunt, in ea manumissione nihil criminis est Caelio. Neque ille effecit, ut commenticiam pyxidem fabula obscenissima consequeretur.

Argumenta, quibus crimina refelli possunt, vulgo sumuntur primum ex criminum ipsorum ratione ac testibus, deinde ab adversariorum, denique a rei persona, sed hic ordo a Cicerone in Caeliana, sicut ex conspectu supra posito apparet, valde mutatus est. Primum enim in Clodiam orationem convertit, deinde Caeli vitam defendit consuetudinemque, quam cum illa habuerat, postremo crimina ipsa refutavit iis argumentis, quae in causae statu versabantur. Haec res facile eo explicatur, quod haec oratio tertia causae defensio fuit, quare Cicero magis reo iudicum animos conciliare et Clodiam in odium vocare, quam ipsa crimina depellere studebat. Itaque criminum ipsorum refutatio parva est et prior pars eius (2 *a*) maxime in eo versatur, ut testimonium L. Luccei quam gravissimum describatur, in altera (2 *b*) potissimum id agit, ut servos illos voluptatum societate cum Clodia coniunctos exponat, ut odium in Clodiam clara illa Metelli morientis descriptione renovet, ut testes mulieris quam acerbissime perstringat. Eandem ob causam factum est, ut nonnulla, quae ad alterum crimen pertinent, iam in praemunitione absoluta sint (cf. p. XXVI)

IV. CONCLUSIO (C. XXIXᵇ—XXXII §§ 70—80) „dicta est a me causa, iudices, et perorata."

1) §§ 70—77ᵃ cur Caelius in iudicium et quaestionem vocatur, quae instituta sunt ad malos cives, coniuratores et patriae oppugnatores, puniendos? Nihil eius causa habet commune cum Camurti et Aeserni, qui iure stupri sui poenas dederunt. Qualis vita Caeli fuerit a prima aetate usque ad huius iudicii tempus, rursus orator breviter percurrit.

2) §§ 77^b—80 (commiseratio) implorat orator iudices, ut adulescentem optimum rei publicae servent, promittit eum civem illustrissimum fore, orat et obsecrat, ne, qui Sex. Clodium, hominem turbulentum, muliebri gratia absolutum viderint, Caelium eiusdem mulieris libidine accusatum condemnent; constituit ante oculos iudicum supplicem patrem senem, qui in unius filii spe requiescat; affirmat Caelium, si absolutus sit, gratiam iudicibus relaturum eosque fructus diuturnos illius laborum percepturos.

Conclusio vulgo id habet propositum, ut iudicum memoria reficiatur et animi moveantur. Ad memoriam reficiendam pertinet argumentorum enumeratio, quam Cicero omisit, cum modo ipsa crimina refutata essent. Paucis tamen verbis initio perorationis summam causae gravitatem iudicibus in memoriam revocavit. Huic parti adiecit commiserationem, in qua non modo misericordiam iudicum movere studuit patrem Caeli senem miserum, squalentem, paventem ostendendo, sed etiam eos monuit, ne gentem Clodiam in iudiciis regnare sinerent, quippe quae paulo ante Sex. Clodium, turpissimum latronem, potentia sua iudicio eripuisset, tunc vero honestissimum adulescentem opprimere vellet innocentem. Ita oratio unde profecta erat (cf. § 1: „oppugnari opibus meretriciis"), eodem rediit (§ 78: „ne eadem mulier" cet.).

III. DE CAELIANAE CODICIBUS.

In Caeliana nobilis ille cod. *Parisinus* 7794 (P) saeculo IX scriptus [1]) usque in hunc diem regnavit [2]). Ex hoc libro, quem post Krarupium, Halmium, Vollgraffium aliosque Clarkius nuper contulit, derivati sunt, quamvis paucis in locis ex alio fonte correcti, *Gemblacensis* (G), nunc Bruxellensis 5345, a Baitero collatus, *Erfurtensis* (E), nunc Berolinensis, quem Wunderus contulit, *Harleianus* (H) 4927, cuius lectiones exhibuit Aem. Baehrensius [3]). His addenda sunt duorum palimpsestorum fragmenta: fragmentum palimpsesti *Ambrosiani* (A) ab Aug. Maio collati et fragmenta palimpsesti *Taurinensis* (T) a Peyronio collati (haec incendio infelici nuper perierunt). His codicibus Clarkius adiecit cod. *Parisiensem* 14749, olim S. Victoris 91 (Σ), haud parvi faciendum, quod marginalia eius et supplementa ex codice C l u n i a c e n s i orta sint. De quo Clarkius haec refert:

„in vetere monasterii Cluniacensis catalogo qui saeculo XII confectus est, hi codices descripti sunt: 496 Cicero pro Milone et pro Avito et pro Murena et pro quibusdam aliis, 498 Cicero in Catilinam et idem pro Q. Ligario et pro rege Deiotaro et de publicis litteris et de actione idemque in Verrinis. Exstat hodie, quamvis iniuria temporis decurtatus, num. 498, codex saeculo IX pulcherrime scriptus [4]), quem amicus meus et in orationibus Tullianis edendis collega, Gulielmus Peterson, in bibliotheca Holkhamica [5]) latentem detexit, contulit, descripsit. Nescio quo casu factum est, ut eodem fere tempore ego alterius codicis, num. 496, hodie deperditi, velut vestigiis insisterem. Ut summatim ea ponam quae pedetemptim comperi, praeter orationes pro Milone, pro Cluentio, pro Murena habitas Roscianam etiam et *Caelianam* hic codex continebat. Orthographiae emendatae, cuius Alcuinus auctor fuisse Carolo magno imperante dicitur,

---

[1]) Cf. Chatelain, Paléogr. des Class. lat., tab. XXIII, ubi ex Parisino photographice depictae sunt Cael. §§ 21—25. [2]) Cf. Clarkium in praef. editionis Oxoniensis orationum pro Sex. Roscio—pro Caelio et Nohlium, BPhW 1906, c. 1128. [3]) Baehrens ad Ciceronis Caelianam, Revue de philologie (n. s.) 8 p. 33—54. Eundem codicem inspexit Vollgraffius. [4]) Cf. Chatelain VII, 27ᵃ, ubi fol. 12 v. huius codicis (Cat. II 28—III 1) photographice depictum est. [5]) Est bibliotheca Lartis Leicesteri.

fere expers erat, unde, qua aetate exaratus sit, divinare possumus. Illud certo scimus ineunte saeculo XV librum situ et vetustate adeo occaecatum fuisse, ut legentibus difficultatem afferret maximam. Hoc fere tempore Francogallus quidam, qui cod. *Parisiensem* 14749, olim S. Victoris 91 (Σ), variis ex fontibus concinnabat, Roscianam quidem et Murenianam, quae in Cluniacensi solo servabantur, ex hoc transcripsit religione maxima. Quotienscumque enim vel exemplar legere non potuit vel corruptela aliqua mirabili offensus est, ipse vacuum spatium reliquit, quod postea explevit sodalis aliquis, qui archetypi imaginem in lacuna vel in margine repraesentare conatus est. Milonianam, *Caelianam*, Cluentianam ex aliis libris lectu facilioribus, ut par erat, transcripsit: m a r g i n a l i a e t s u p p l e m e n t a Cluniacensia in ora libri vel in paginis insutis addidit[1].... Librum in monasterio Cluniacensi a. D. 1415 inventum *ad Italos reportavit Poggius*, cuius comes et collega, *Bartolomaeus de Montepolitiano*, aliqua ex codice excerpsit (B) nescio an statim. Excerpta Montepolitiana.... ex schedis eius transcripsit codicis Laur. liv. 5 librarius, homo indoctissimus.... Non multos fuisse qui codicem legere possent veri simile est, e quo F. Barbarus, vir doctissimus, se ne verbum quidem transcribere potuisse deplorat. Aliquos autem rem navasse constat, cum in mss. eius aetatis marginalium et supplementorum cum Parisiensi (Σ) artissime congruentium amplior in dies numerus appareat. Ipse etiam Poggius, ut in epistulis eius traditum est, „volumine antiquo, quod ex monasterio Cluniacensi detulerat, a. D. 1427 Romae usus est, cuius opera quanta fuerit nescio, magni momenti fuisse veri simile est. Ita Italis sensim textum vel corrigentibus vel corrumpentibus increvit satis magna variarum lectionum seges, quae in cod. *Laurentiano* (Gadd.) XC sup. 69, saec. XV (ψ) vel in margine vel super lineam scriptae sunt, in cod. Monacensi 15734 vel *Salisburgensi* 34 (S) — quem Halmius et Vollgraffius contulerunt — fere omnes in textum receptae."[2])

Haec Clarkius de codice Cluniacensi eiusque propagine Σ. Quod autem ad Caelianam attinet, ita pergit:

„manifestum est eum (Σ) proxime accedere ad palimpsestos (cf §§ 38—42, 54—56, 66—69, 71—75); virtutem probant lectiones aliquot singulares a grammaticis vel a Quintiliano confirmatae (cf. §§ 8, 31, 32, 50, 67). Nonnullis locis videtur exhibere cod. P. lectionem pristinam, ab ipso scriptore vel a correctore erasam (cf. §§ 13, 19, 21, 36, 54, 63, 70). Huius codicis ope ab inveterata suspicione liberantur loci aliquot a PEGH omissi, in recentioribus SW ex Cluniacensi suppleti. Nunc apparet illa „Italorum supplementa" non ingenio „audacissimi interpolatoris" deberi sed ex antiquissimo codice, cum palempsestis fere consentiente, deducta esse. Illud vero longe gratissimum est, quod t r i g i n t a

---

1) Ex Σ derivatos esse Parisinos 6369, 7777, codices satis bonos, et *Guelferbytanum* 205 (W), librum neglegentissime scriptum, in Anecdotis Oxoniensibus (Classical Series part X p. 15—16; 5—6) docuit Clarkius (cf. K. Strauss BPhW 1905, c. 1345). 2) Praeterea contulit Clarkius cod. *S. Marci* 255 (b), quem familiam recentiorum codicum ducere putat.

fere virorum doctorum coniecturas firmat hic testis a tenebris excitatus.... Habes, lector, unde artis criticae obtrectatores vanitatis convincas."

Ex verbis Clarki supra allatis apparet Francogallum illum Milonianam Caelianam Cluentianam non ex Cluniacensi, sed ex aliis libris lectu facilioribus transscripsisse: marginalia et supplementa Cluniacensia in ora libri vel in paginis insutis addidisse[1]). Itaque textus Caelianae vetere codice Parisino 7794 niti debere mihi videtur, ex quo auctore Clarkio Σ quoque in Caeliana descriptus est, sed ad lacunas[2]) in eo explendas et vitia corrigenda Σ adhibendus nec parvi aestimandus est. Quod uno exemplo vel maxime demonstratur. In § 24 post *Titus Gaiusque* in P spatium vacuum quattuor versuum et dimidii a librario relictum est, in quo a manu recentiore, sed ita ut totum spatium non expletum sit, haec scripta sunt: *omni cum doctrina homo atque humanitatis tum etiam hospitio Dionis tenebantur. Habitabat is apud L. Lucceium,*

---

1) Anecd. Oxon. X p. 14 Clarkius diserte sententiam suam de origine codicis Σ proponit: „the ten speeches 3—12 (continet autem Σ orationes duodetriginta, in decem illis Caeliana est) are derived from the well-known ninth-century Paris MS (P) 7794, in which they occur in the same order. It appeared to me that in these ten speeches it was directly copied from P, marginalia being added in the case of the *pro Caelio* from the Cluniacensis." Mox p. 15: „the marginalia to the pro Caelio are written more clearly than those to the *pro Milone* and *pro Cluentio*." Postremo p. 28: „I proceed to discuss the speech *pro Caelio*, the MSS. evidence for which, though good, is somewhat scanty. In addition to fragments of two palempsests A and T, we have the famous ninth-century Paris MS 7794 (P). This has already been referred to as being the MS from which speeches 3—12 in Σ have been copied. Halm also used two other mss. GE, which are either copied from P or are derived from it, and possess no independent value. A Harleian MS 4927, collated by Baehrens, is equally valueless. On the other hand striking variants, apparently drawn from a different source, but sporadic in character, occur in W, the Wolfenbuttelanus, and the frequently mentioned Monacensis 15734 (S). The reader will at once divine the source from which these come." 2) Lacunas illas in Parisino non a viris doctis Italis esse expletas vel maxime apparet ex § 38, ubi verba addita a manu secunda *se nulla — in tam* partim etiam inveniuntur in palimpsesto Taurinensi (fol. M), et e § 72, ubi verba, quae in P addita sunt *et cum vestra severitate coniuncta*, eadem in palimpsesto Ambrosiano leguntur. Et alia supplementa saepe tam absurda, ut potius librarius litteras veteris exemplaris iam evanidas legere summo labore conatus esse videatur quam suo Marte pannum assuisse (cf. Schöll, Mus. Rhen. 35, p. 544). Itaque emendare illa quam abicere praestat.

ut audistis. Fuerat ei (deinde post lacunam continuantur: *cognitus Alexandriae*). Idem supplementum EG habent sed sine *cum* post *omni*. Aliud est in S, quod C. F. W. Muellerus in textum recepit: *Coponii, qui ex omnibus maxime Dionis mortem doluerunt, qui cum doctrinae studio atque humanitatis, tum etiam hospitio Dionis tenebantur. Habitabat is apud Lucceium, ut audistis. Fuerat ei* cet. Haec verba a doctis hominibus Italis excogitata esse Madvigius[1]), Halmius aliique arbitrati sunt ac praesertim verba *apud L. Lucceium* negotia interpretibus exhibebant, cum continuo in sententia subsequenti *frater eius* commemoraretur neque pateret, quis frater ille esset, utrum Luccei, ut contextus docet, an alter Coponius. In his vero tenebris lucem attulit Σ, in quo prior pars supplementi eadem est atque in S, sed post *tenebantur* ita legitur: *Habitabat apud Titum, ut audistis, Dio; erat ei cognitus Alexandriae.* Nunc omnia recte procedunt et totus locus fit perspicuus. Nomen Luccei pro Tito (sc. Coponio) in ceteros codices irrepsisse videtur ex § 51 (*qui tum apud Lucceium habitabat*), quod pluribus in commentario demonstrabo.

Praeterea Vollenhovenius in Disputatione Literaria „de emendatione aliquot locorum orationis Tullianae pro M. Caelio Rufo" (Lugduni Batavorum, a⁰. 1839) quattuor codicibus Leidensibus (L^{abcd}) usus est, quorum integram varietatem in fine opusculi (p. 64—99) exhibuit. Pertinent ad saeculum decimum quartum vel decimum quintum scatentque erroribus librarii. Neque maioris momenti est Francii liber (F) in bibliotheca Traiectina conservatus, cum S plerumque conveniens, quem Franckenus olim contulit (Mnem. N. S. 8, p. 212). Quos codices quinque in hac editione parcius adhibebo idque solum, ubi aliorum testimonia vel virorum doctorum coniecturae iis confirmantur.

De codicum stemmate[2]) conficiendo desperandum est. Hoc tantum apertum est ex iis, quae supra exposita sunt, duplici ratione textum Caelianae nobis traditum esse et partem codicum a Parisino solo originem ducere, partem quodammodo etiam Cluniacensi esse cognatam.

---

[1]) Opusc. Acad. I p. 393. [2]) De necessitudine, quae intercedit inter P et GE atque inter H et S egerunt Baehrensius l. l. p. 37 et Vollgraffius praef. X sqq.

CONSPECTUS CODICUM.

P = cod. Parisinus 7794, saec. IX.

π { **E** = cod. Erfurtensis, nunc Berolinensis, saec. XII/XIII.
G = cod. Gemblacensis, nunc Bruxellensis 5345, saec. XII.
H = cod. Harleianus 4927, saec. XII. }

[Cluniacensis] saec. VIII [1]).
Σ = m. 2 in cod. Parisiensi 14749, olim S. Victoris 91, saec. XV [2]).
S = cod. Salisburgensis aulicus 34 sive Monacensis 15734, saec. XV.
b = cod. S. Marci 255, saec. XV.
ψ = cod. Laur. (Gadd.) XC sup. 69, saec. XV.
B = excerpta Bartolomaei de Montepolitiano (Laur. LIV, 3; a⁰. 1425).
W = Guelferbytanus 205, saec. XV.

A = palimpsestus Ambrosianus (continens §§ 71—75 *Caeserni* . . . . . *infelici*).
T = palimpsestus Taurinensis (continens §§ 38—42 *quisque* . . . . . *curam rei*, §§ 54—56 *-dis illis* . . . . . *Caelio*, §§ 66—69 *-lus exitus* . . . *miramur si*).

EDITIONES.

La = ed. Lambiniana a. 1566.
Or = ed. Orelliana prior a. 1826; editio altera huius orationis, Turici 1832

---

1) Cf. Anecdota Oxon. X p. 63: „this MS. (Σ) was unaffected by the orthographical reforms, which took place under the reign of Charlemagne, and therefore in all probability anterior to them. If so it cannot have been later than the end of the eighth century and may have been considerably earlier." 2) Ubicumque in annot. crit. nomen proprium huic litterae Σ antecedit, locus iam coniectura emendatus erat, antequam Σ innotuit.

M. TULLI CICERONIS

PRO M. CAELIO ORATIO.

Si quis, iudices, forte nunc adsit ignarus legum, iudiciorum, I consuetudinis nostrae, miretur profecto, quae sit tanta atrocitas 1 huiusce causae, quod diebus festis ludisque publicis, omnibus forensibus negotiis intermissis unum hoc iudicium exerceatur, nec dubitet, quin tanti facinoris reus arguatur, ut eo neglecto civitas stare non possit; idem cum audiat esse legem, quae de seditiosis consceleratisque civibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, rem publicam oppugnarint, cotidie quaeri iubeat: legem non improbet, crimen quod versetur in iudicio, requirat; cum audiat nullum facinus, nullam audaciam, nullam vim in iudicium vocari, sed adulescentem illustri ingenio, industria, gratia accusari ab eius filio, quem ipse in iudicium et vocet et vocarit, oppugnari autem opibus meretriciis, [Atratini] illius pietatem non reprehendat, muliebrem libidinem comprimendam putet, vos laboriosos existimet, quibus otiosis ne in communi quidem otio

---

2. *consuetudinis*] *consuetudinisque* Σ B, Lambinus. — 3. *quod*] *quia* Σ B. — 4. *forensibus negotiis*] *negotiis forensibus* HS. — 5. *arguatur*] *accusatus* Σ B. — 7. *magistratibus* om. P, exhibent πΣbψ, cf. de dom. § 89. — 11. *adulescentem*] *adulescentem nobilem* Σ B. — *illustri*] *inlustri* P (ut passim). — 13. [*Atratini*] *illius pietatem*: nomen proprium (cf. § 2) Muretus et Lambinus expunxerunt; Franckenus: *filii pietatem*, Clarkius: *Atratini ipsius pietatem*. — 14. *muliebrem libidinem*] *libidinem muliebrem* Σ B. — 15. *existimet* suspectum habet Franckenus.

2 liceat esse. Etenim si attendere diligenter, existimare vere de omni hac causa volueritis, sic constituetis, iudices, nec descensurum quemquam ad hanc accusationem fuisse, cui, utrum vellet, liceret, nec, cum descendisset, quicquam habiturum spei fuisse, nisi alicuius intolerabili libidine et nimis acerbo odio niteretur. Sed ego Atratino, humanissimo atque optimo adulescenti, meo necessario, ignosco, qui habet excusationem vel pietatis vel necessitatis vel aetatis. Si voluit accusare, pietati tribuo, si iussus est, necessitati, si speravit aliquid, pueritiae. Ceteris non modo nihil ignoscendum, sed etiam acriter est resistendum.

II Ac mihi quidem videtur, iudices, hic introitus defensionis
3 [adulescentiae] M. Caeli maxime convenire, ut ad ea, quae accusatores deformandi huius causa <et> detrahendae spoliandaeque dignitatis gratia dixerunt, primum respondeam. Obiectus est pater varie, quod aut parum splendidus ipse aut parum pie tractatus a filio diceretur. De dignitate M. Caelius notis ac maioribus natu etiam sine mea oratione tacitus facile ipse respondet; quibus autem propter senectutem, quod iam diu minus in foro nobiscumque versatur, non aeque est cognitus, ii sic habeant, quaecumque in equite Romano dignitas esse possit, quae certe potest esse maxima, eam semper in M. Caelio habitam esse summam hodieque haberi

Testimonia veterum. § 2: Exc. Halmii ex Grillii commento in Cic. de invent. § 21: . . . „securus tamen de iudicibus, ut praetermissa quodammodo benivolentia partibus attentionis utatur, dum dicit: *etenim si existimare de omni hac causa volueritis*" cet.

---

1. *liceat*] *licet* EG. — *attendere diligenter, existimare*] *a. d. atque e.* Σ; *a. d. et e.* Angelius; *a. d. existimareque* Baehrensius; Franckenus *attendere diligenter* suspectum habet. — 4. *cum*] Baehrensius: *qui.* — 5. *libidine*] *lubidine* P (et ita plerumque), sed idem in v. 14, p. 1: *libidinem.* — 6. *humanissimo atque optimo*] *humanissumo atque optumo* P (et sic vulgo superl. per *u*). — 13. *deformandi huius causa et* Bakius, *et* om. codd.; *deformandae huius causae* (sine *et*) Σ Cobetus; *deformandae eius* (sc. adulescentiae) *causa* (sine *et*) Franckenus; *deformandae huius adulescentiae* (sine *et*) Karstenus, delens *adulescentiae* in v. 12; *de fama huius*, *detrahendae* cet. Vollgraffius. — 16. *M. Caelius* Σ Lambinus, *Caelius* Pπbψ. — *etiam sine mea oratione tacitus* La Or, *et sine m. o. t.* Σ, *et sine m. o. et t.* Pπbψ; *tacitus* expunxit Vollgraffius. — 18. *nobiscumque* codd. probante Madvigio Op. Ac. I p. 390; *nobiscum* La Or. — 19. *ii*] *ei* P, *hi* HS. — 21. *summam hodieque* P^{1}Σψ^{2}, *summamque hodie* P^{2}, *summamque hodieque* EG, unde Lambinus: *summam summamque hodie.* Deleverunt *summam* Schoellius et Vollgraffius.

non solum a suis, sed etiam ab omnibus, quibus potuerit aliqua de causa esse notus. Equitis Romani autem esse filium criminis 4
loco poni ab accusatoribus neque his iudicantibus oportuit neque defendentibus nobis. Nam quod de pietate dixistis, est quidem [ista] nostra existimatio, sed iudicium certe parentis; quid nos opinemur, audietis ex iuratis, quid parentes sentiant, lacrimae matris incredibilisque maeror, squalor patris et haec praesens maestitia, quam cernitis, luctusque declarat. Nam quod est obiectum, municipibus 5
esse adulescentem non probatum suis, nemini umquam praesenti [praetoriani] maiores honores habuerunt quam absenti M. Caelio; quem et absentem in amplissimum ordinem cooptarunt et ea non petenti detulerunt, quae multis petentibus denegarunt; idemque nunc lectissimos viros et nostri ordinis et equites Romanos cum legatione ad hoc iudicium et cum gravissima atque ornatissima laudatione miserunt. Videor mihi iecisse fundamenta defensionis meae, quae firmissima sunt, [si nituntur iudicio suorum]. Neque enim vobis satis commendata huius aetas esse posset, si non modo parenti, tali viro, verum etiam municipio tam illustri ac tam gravi displiceret. Equidem, ut ad me revertar, ab his fontibus profluxi ad hominum III 6

Testimonia veterum. § 4. *equitis .... nobis* Quint. XI 1, 28; *equitis .... iudicantibus* Rufin. de fig. sent. XII.

2. *Romani autem*] *autem Romani* Quint., La, Clarkius. — *criminis loco*] *criminessloco* P^1 (teste Clarkio); quod syllaba *ess* (vel *is*) in rasura est, Halmius coniecit: *criminis in loco.* — 3. *his iudicantibus* codd., Rufin., *vobis i.* Quint. (cod. M.) — 4. *quidem ista*] *ista quidem* Σ Leid.^{d}, La; — [*ista*] delevit Schoellius; pro *ista* Damsteius: *iusta.* — 5. *nostra*] *vestra* b Leid.^{a}, Halmius; Sauppius (Philol. XIX p. 156) proposuit: *est ista quidem vestra, alia nostra e.*; Ieepius et Baehrensius: *est quidem de ista nostra e.* — *parentis*] *parentum* Vollgraffius. — 7. *quam cernitis* delevit Pluygersius. — 10. [*praetoriani*] delevi cum Vollenhovenio; *-tori-* P^2 in rasura; *Praestutiani* Σ, *Praetutiani* Gruterus (cf. Plin. n. h. III 13—14), *Puteolani* Beroaldus (cf. Val. Max. IX 3, 8), *Tusculani* Baiterus (cf. C. I. L. XIV 2622), *Cumani* Wegehauptius, *oppidani* Oetlingius, *praetori populi Romani* (ex: *praet. p. romani*) Franckenus. — *habuerunt*] *habuerunt, iudices,* Σ. — *absenti* om. H, Vollgraffius. — 11. *quem*] *quom* Schoellius. — 12. *idemque* P, *iidemque* G. — 13. *equites Romanos*] *equitis R.* PG, Halmius dubitanter: *equitum Romanorum.* — 15. *iecisse* ex *legisse* P (secundum Clarkium), sed Halmius: „videtur *egisse* fuisse". (cf. pro Mil. § 75). — 16. [*si nituntur iudicio suorum*] circumclusit Schoellius. — 19. *ut ad me revertar* (*revortar* P) delendum censet Schoellius; Baehrensius pro *revortar*: *devortar* vel *devortam.*

famam, et meus hic forensis labor vitaeque ratio dimanavit ad existimationem omnium paulo latius commendatione ac iudicio meorum.

Nam quod obiectum est de pudicitia quodque omnium accusatorum non criminibus, sed vocibus maledictisque celebratum est, id numquam tam acerbe feret M. Caelius, ut eum paeniteat non deformem esse natum. Sunt enim ista maledicta pervulgata in omnes, quorum in adulescentia forma et species fuit liberalis. Sed aliud est male dicere, aliud accusare. Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, nomine notet, argumento probet, teste confirmet; maledictio autem nihil habet propositi praeter contumeliam; quae si petulantius iactatur, convicium, si facetius, urbanitas nominatur.
7 Quam quidem partem accusationis admiratus sum et moleste tuli potissimum esse Atratino datam. Neque enim decebat neque aetas illa postulabat neque, id quod animadvertere poteratis, pudor patiebatur optimi adulescentis in tali illum oratione versari. Vellem aliqui ex vobis robustioribus hunc [male dicendi] locum suscepisset; aliquanto liberius et fortius et magis more nostro refutaremus istam male dicendi licentiam. Tecum, Atratine, agam lenius, quod et pudor tuus moderatur orationi meae et meum
8 erga te parentemque tuum beneficium tueri debeo. Illud tamen te esse admonitum volo, primum [qualis es, talem te existiment]

Testimonia veterum. § 6: *nam .... natum* Gell. XVII 1, 4.

---

1. *dimanavit*] *demanavit* ΣB. — *ad existimationem omnium* Baehrensius: *a. e. hominum* codd.; verba expunxit H. Schwartzius. Totam sententiam: *equidem — meorum* non Ciceronis esse putabant Vollenhovenius, Franckenus, Vollgraffius. — 7. *pervulgata*] *pervolgata* P; *in*] *per* Σ. — 10. *nomine notet* Franckenus, *nomine ut notet* Manutius, *hominem ut notet* Pπbψ, *hominem notet* ΣB; *rem ut definiat nomine et notet* Baehrensius; *accusatio crimen desiderat, ut definiat, nomen, ut notet, argumentum, ut probet, testem, ut confirmet* Bakius; *accusatio desiderat rem, ut definiat, hominem, ut notet: argumento probat, teste confirmat* Karstenus; *hominem ut notet* inclusit Kayserus. — 12. *iactatur*] *iaciatur* Muretus. — 14. *decebat neque* expunxit Vollgraffius, *non enim decebat* Karstenus. — 15. *animadvertere*] *animum advertere* Σ. — 17. *aliqui*] *aliquis* Σπbψ. — [*male dicendi*] delevit Schoellius. — 19. *agam lenius*] *lenius agam* ΣB. — 20. *tuus* om. ΣB. — *meum* om. ΣB. — 21. *debeo*] *debet* Σ. — 22. [*qualis es, talem te existiment*] delevit Schoellius; *ut qualis es, talem te omnes esse e.* Σ, *talem te esse omnes e.* Klotzius; *talem te velis homines* (vel *hi*) *existiment* Halmius; *talem te existiment ut cures, tum* Baehrensius; *talem fac alii te existiment* Franckenus; *talem omnes te esse existiment, tu quantum* cet. Karstenus.

ut quantum a rerum turpitudine abes, tantum te a verborum libertate seiungas; deinde ut ea in alterum ne dicas, quae cum tibi falso responsa sint, erubescas. Quis est enim, cui via ista non pateat, qui isti aetati non possit quam velit petulanter, etiam [si] sine ulla suspicione, [at non sine argumento] male dicere? Sed istarum partium culpa est eorum, qui te agere voluerunt; laus pudoris tui, quod ea te invitum dicere videbamus, ingenii, quod ornate politeque dixisti. Verum ad istam omnem orationem brevis IV
est defensio. Nam quoad aetas M. Caeli dare potuit isti suspicioni 9
locum, fuit primum ipsius pudore, deinde etiam patris diligentia disciplinaque munita. Qui ut huic virilem togam dedit — nihil dicam hoc loco de me; tantum sit, quantum vos existimatis; hoc dicam hunc a patre continuo ad me esse deductum — nemo [hunc] M. Caelium in illo aetatis flore vidit nisi aut cum patre aut mecum aut in M. Crassi castissima domo, cum artibus honestissimis erudiretur.

Nam quod Catilinae familiaritas obiecta Caelio est, longe ab ista 10
suspicione abhorrere debet. Hoc enim adulescente scitis consulatum mecum petivisse Catilinam. Ad quem si accessit aut si a me discessit umquam, quamquam multi boni adulescentes illi homini nequam atque improbo studuerunt, tamen existimetur Caelius Catilinae

Testimonia veterum. § 8: *quis isti aetati* cet. Agroecius VII 118 K: *quis non possit huic aetati atque dignitati, etiam si sine suspicione, at non sine argumento male dicere?*

---

3. *falso* expunxit Vollgraffiius. — 4. *qui isti aetati non possit* PS, *quis est qui huic aetati atque isti dignitati n. p.* Σ, *qui isti aetati atque etiam isti dignitati n. p.* codd. rell.; *quis isti* cet. Franckenus. — [*si*] om. EG, delevit Schoellius. — 5. [*at non sine argumento*] cancellos posuit Schoellius; transposuit Vollenhovenius: *etiamsi sine ullo argumento, at non sine suspicione*; Bakius: *etiamsi non sine ulla suspicione, at sine argumento*; Baehrensius: *etiam sine ulla suspicione atque sine argumento.* — 8. *politeque*] *docteque* Klotzius. — 8. *omnem* om. Σ. — 9. *potuit isti* Σ, Naugerius, *potuisti* PE, *potuit* rell. — 11. *virilem togam*] *togam virilem* Σ. — 12. *dicam*] om. EG. — *existimatis*] *existimetis* Ernestius. — 13. *hunc a patre*] *a patre hunc* Franckenus. — [*hunc*] eiecit Schoellius; *hunc* [*M. Caelium*] Wrampelmeyerius; pro *hunc* proposuit *umquam* Baehrensius. — 16. *Caelio est*] *est Caelio* H. — 17. *suspicione*] *suspitione* P. — Post *suspicione* Vollgraffius addidit *iudices* propter vacuum spatium in P. — *debet*] *debetis* Oetlingius. — 18. *ad quem*] *ad quem tum* Lehmannus. — 19. *umquam*] *numquam* Baehrensius cum HS. — 20. *tamen*] *tum* Angelius Σ, *num* Vollenhovenius, *mecum* Schoellius, *tacite* Baehrensius, *tamen* delevit Bakius.

nimium familiaris fuisse. At enim postea scimus et vidimus esse hunc in illius amicis. Quis negat? Sed ego illud tempus aetatis, quod ipsum sua sponte infirmum, aliorum libidine infestum est, id hoc loco defendo. Fuit assiduus mecum praetore me; non noverat Catilinam; Africam tum praetor ille obtinebat. Secutus est annus, <cum> causam de pecuniis repetundis Catilina dixit. Mecum erat hic; illi ne advocatus quidem venit umquam. Deinceps fuit annus, quo ego consulatum petivi; petebat Catilina mecum. Numquam ad illum accessit, a me numquam recessit.
V Tot igitur annos versatus in foro sine suspicione, sine infamia,
11 studuit Catilinae iterum petenti. Quem ergo ad finem putas custodiendam illam aetatem fuisse? Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum bracchium toga constitutus et ut exercitatione ludoque campestri tunicati uteremur, eademque erat, si statim mereri stipendia coeperamus, castrensis ratio ac militaris. Qua in aetate nisi qui se ipse sua gravitate et castimonia et cum disciplina domestica, tum etiam naturali quodam bono defenderet, quoquo modo a suis custoditus esset, tamen infamiam veram effugere non poterat. Sed qui prima illa initia aetatis integra atque inviolata praestitisset, de eius fama ac pudicitia, cum [is] iam sese corro-
12 boravisset ac vir inter viros esset, nemo loquebatur. Studuit Catilinae, cum iam aliquot annos esset in foro, Caelius; et multi hoc idem ex omni ordine atque ex omni aetate fecerunt. Habuit enim ille, sicuti meminisse vos arbitror, permulta maximarum

Testimonia veterum. § 11. Arusianus Messius p. 508 K.: „studeo illi (rei). Cicero pro Caelio: *studuit Catilinae iterum petenti.*

---

1. *nimium familiaris*] *omnium familiarissimus* Damsteius. — 2. *amicis*] *etiam amicis* Σ. — *negat*] *neget* Σ. — 3. *aliorum*] *aliorum autem* Σ. — *lubidine* P, *libidini* Σ. — 4. *me* expunxit Madvigius; Lambinus *praetore me* cum sequentibus iunxit. — 6. ⟨*cum*⟩ inseruit Garatonius, ⟨*quo*⟩ Weiskius; Clarkius cum Σ: *secutus est tum annus, causam* cet. — 7. *umquam* delevit Franckenus. — 11. *studuit*] *at studuit* Franckenus. — *putas*] *putatis* Baehrensius. — 13. *et ut*] *et* om. La. — 15. *mereri*] *merere* Σ B. — 17. *defenderet* EGbψ, *defenderit* H, *defenderat* P. — 18. *veram*] *meritam* Franckenus, *i. vere meritam* Vollgraffius, *i. universam* Ernestius, *infamiae ventum* Bakius, *infamiam adversam* Halmius, *infamiae metam* Kayserus, *infamiae auram* Karstenus, *infamiam morum* Baehrensius. — 19. *prima illa*] *illa prima* Σ. — 20. *ac*] *et* Σ. — *is* om. Σ. — *sese* Σ, *se* rell. — 21. *studuit*] *ac studuit* Σ, *at st.* Clarkius. — 23. *omni ordine*] *ordine omni* Σ.

non expressa signa sed adumbrata <lineamenta> virtutum. Utebatur
hominibus improbis multis et quidem optimis se viris deditum
esse simulabat. Erant apud illum illecebrae libidinum multae; erant
etiam industriae quidam stimuli ac laboris. Flagrabant vitia
libidinis apud illum; vigebant etiam studia rei militaris. Neque
ego umquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex
contrariis diversisque [inter se pugnantibus] naturae studiis cupi-
ditatibusque conflatum. Quis clarioribus viris quodam tempore **VI**
iucundior, quis turpioribus coniunctior? quis civis meliorum partium **13**
aliquando, quis taetrior hostis huic civitati? quis in voluptatibus
inquinatior, quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior,
quis in largitione effusior? Illa vero, iudices, in illo homine
mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio,
cum omnibus communicare, quod habebat, servire temporibus
suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam,
si opus esset, <et> audacia, versare suam naturam et regere ad
tempus atque huc et illuc torquere ac flectere, cum tristibus
severe, cum remissis iucunde, cum senibus graviter, cum iuventute
comiter, cum facinerosis audacter, cum libidinosis luxuriose vivere.
Hac ille tam varia multiplicique natura cum omnis omnibus ex **14**
terris homines improbos audacesque collegerat, tum etiam multos
fortis viros et bonos specie quadam virtutis assimulatae tenebat.

T e s t i m o n i a v e t e r u m. § 13. Fronto ad Anton. II 6 (Naber p. 108): *quis clarioribus viris — quis in largitione effusior?* et paulo post: *cum omnibus communicare quod habebat.*

---

1. ⟨*lineamenta*⟩ inseruit Franckenus, ⟨*simulacra*⟩ Kochius; Baehrensius *signa* transposuit post *adumbrata.* — 2. *et quidem*] *atque idem* Oetlingius. — 5. *libidinis*] *luxuriae* Baehrensius. — *illum*] *eum* Σ. Totam periodum *flagrabant* — *militaris* delent Kayserus et Schoellius. — 6. *tam ex* EG, *tamen* P. — 7. [*inter se pugnantibus* (*repugnantibus* HS)] ego circumclusi; qui verba retinent, post *diversisque* inserunt *et* vel *atque* cum uno cod. deteriore Coloniensi; Baehrensius: *diverseque inter se repugnantibus*; Ernestius *diversisque* deleto: *contrariis inter seque pugnantibus.* — *naturae*] *naturis* Pluygersius. — 8. *quodam tempore*] *quondam* Σ. — 9. *turpioribus*] *turpioribus viris* Σ. — 13. *mirabilia*] *admirabilia* Σ. — 15. *scelere e. si o. e. et a.* $\Sigma b^2\psi^2$; *sceleris etiam, si opus esset, audacia* Oetlingius; *scelere etiam, si opus esset, audacia* Pπ. — 16. *regere*] *tegere* Graevius. — 17. *ac*] *et* Σ. — 18. *iuventute*] *iuvenibus* Oetlingius. — 19. *facinerosis* P. — *audacter* PH, *audaciter* EGΣB. — 20. *omnibus ex*] *ex omnibus* Σ. — 22. *assimulatae*] *adsimulatae* P, *quadam rei p. adsimulatam* Σ, delevit Oetlingius.

Neque umquam ex illo delendi huius imperii tam consceleratus impetus extitisset, nisi tot vitiorum tanta immanitas quibusdam facultatis et patientiae radicibus niteretur. Quare ista condicio, iudices, respuatur, nec Catilinae familiaritatis crimen haereat; est enim commune cum multis [et cum quibusdam] etiam bonis. Me ipsum, me, inquam, quondam paene ille decepit, cum et civis mihi bonus et optimi cuiusque cupidus et firmus amicus ac fidelis videretur; cuius ego facinora oculis prius quam opinione, manibus ante quam suspicione deprehendi. Cuius in magnis catervis amicorum si fuit etiam Caelius, magis est ut ipse moleste ferat errasse se, sicuti non numquam in eodem homine me quoque erroris mei paenitet, quam ut istius amicitiae crimen reformidet.

VII Itaque a maledictis pudicitiae ad coniurationis invidiam oratio
15 est vestra delapsa. Posuistis enim, atque id tamen titubanter et strictim, coniurationis hunc propter amicitiam Catilinae participem fuisse; in quo non modo crimen non haerebat, sed vix diserti adulescentis cohaerebat oratio. Qui enim tantus furor in Caelio, quod tantum aut in moribus naturaque volnus aut in re atque fortuna? Ubi denique est in ista suspicione Caeli nomen auditum? Nimium multa de re minime dubia loquor; hoc tamen dico: non modo si socius coniurationis, sed nisi inimicissimus istius sceleris fuisset, numquam coniurationis accusatione adulescentiam suam
16 potissimum commendare voluisset. Quod haud scio an de ambitu et de criminibus istis sodalium ac sequestrium, quoniam huc incidi, similiter respondendum putem. Numquam enim tam Caelius

---

1. *delendi* EG, *tenendi* P. — 2. *extitisset* P. — 3. *facultatis* Madvigius, *facilitatis* codd. — *radicibus niteretur*] *involucris tegeretur* Baehrensius. — *ista condicio .... respuatur*] *ista convitia respuatis* Franckenus, *ista condicio respiciatur* vel *ista suspicio respuatur* Baehrensius. — 5. [*et cum quibusdam*] circumclusi; Franckenus tantummodo *et cum* expunxit; Clarkius: *cum multis et cum quibusdam bonis* delens *etiam* cum Σ; *cum multis tum quibusdam etiam bonis* Klotzius; *c. m. b. et c. qu. e optimis* Baehrensius. — 8. *fidelis*] *fidus* Lambinus. — 9. *suspicione*] *suspitione* P (ut p. 7 v. 16 *audatia*). — 12. *istius*] *ipsius* Σ. — 13. *pudicitiae*] *impudicitiae* Σ, Garatonius ex Quint. IV 2, 27. — *oratio est vestra delapsa*] *oratio delapsa est* Σ. — 15. *hunc propter amicitiam*] *p. a. h.* Σ. — 16. *crimen non haerebat*] *crimine non inhaerebat* Lambinus. — 18. *volnus* P. — 19. *Caeli* P. — 20. *tamen*] *tantum* Lambinus. — 22. *coniurationis* delevit Bakius. — 23. *potissimum* Baehrensius post *coniurationis* (v. 22) traiecit. — 24. *sequestrium*] *sequestrum* B.

amens fuisset, ut, si se isto infinito ambitu commaculasset, ambitus alterum accusaret, neque eius facti in altero suspicionem quaereret, cuius ipse sibi perpetuam licentiam optaret, nec, si sibi semel periculum ambitus subeundum putaret, ipse alterum iterum ambitus crimine arcesseret. Quod quamquam nec sapienter et me invito facit, tamen est eius modi [cupidus], ut magis insectari alterius innocentiam quam de se timide cogitare videatur.

Nam quod aes alienum obiectum est, sumptus reprehensi, tabulae 17
flagitatae, videte quam pauca respondeam. Tabulas, qui in patris potestate est, nullas conficit. Versuram numquam omnino fecit ullam. Sumptus unius generis obiectus est, habitationis; triginta milibus dixistis eum habitare. Nunc demum intellego P. Clodi insulam esse venalem, cuius hic in aediculis habitat decem, ut opinor, milibus. Vos autem, dum illi placere vultis, ad tempus eius mendacium vestrum accommodavistis.

Reprehendistis, a patre quod semigrarit. [Quod quidem iam 18
in hac aetate minime reprehendendum est.] Qui cum et ex publica causa iam esset mihi quidem molestam, sibi tamen gloriosam victoriam consecutus et per aetatem magistratus petere posset, non modo permittente patre, sed etiam suadente ab eo semigravit, et cum domus patris a foro longe abesset, quo facilius

---

1. *se*] *sese* Clarkius, *ses se* Σ; *se ipse isto* Vollgraffius; *se ipse* (sine *isto*) Oetlingius. — 2. *neque eius facti*] *neque enim facti* HS, *neque enim eius facti* La. — *quaereret*] *quereretur* Bakius. — 3. *perpetuam licentiam*] *perpetuum silentium* Baehrensius. — *nec . . . arcesseret* (v. 5.) expunxit Vollgraffius. — 6. *cupidus* PE, inclusi cum Ernestio; *cupidinis* G, *cupiditatis* Σ, *cupiditas* $b^2\psi^2$ Clarkius; *cupidius* Weiskius, iungens cum sequentibus; similiter *cupide* Vollgraffius; *eiusmodi*, *cupiat ut magis insectari alterius innocentiam . . . . cogitare videri* Baehrensius. — 8. *est*] *sit* Σ. 10. *conficit*] *confecit* La. — 12. *eum* delevit Clarkius clausulae gratia. — Post *demum* in P vox erasa est, unde Halmius inseruit: *iudices*. — 14. *milibus*] *militibus* P^1. — *vultis*] *voltis* PG. — 15. *eius* P, *ei* EG, *eris* Σ, unde Clarkius dubitanter: *eri*. — *vestrum*] *vostrum* P; post hoc vocabulum sequuntur in PEG *renuerit qui unguenta* § 27 usque ad *inanes metus* § 36, in P tamen verus verborum ordo signis in margine factis restitutus est. — 16. *semigrarit*] *semigravit* Bakius. — [*quod . . . . est*] circumclusi cum Schoellio. — *iam in hac aetate* $P\pi b\psi$, *in hac aetate* Σ Lambinus, *in hac iam aetate* Franckenus; post *aetate* Kayserus *factum esse* inserere volebat. — 17. *ex publica causa* Σ $b^2\psi^2$ Franckenus, *ex rei publicae causa* $P\pi b\psi$. — 18. *iam* omisit La. — 20. *posset*] *possit* P^1. — 21. *et* post *abesset* transposuerunt Schwartzius et Baehrensius.

et nostras domus obire et ipse a suis coli posset, conduxit in
VIII Palatio non magno domum. Quo loco possum dicere id, quod vir clarissimus, M. Crassus, cum de adventu regis Ptolemaei quereretur, paulo ante dixit:

Utinám ne in nemore Pélio —

ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret:

Nam númquam era errans

hanc molestiam nobis exhiberet

Medéa animo aegro, amóre saevo saúcia.

Sic enim, iudices, reperietis, quod, cum ad id loci venero, ostendam, hanc Palatinam Medeam [migrationemque] huic adulescenti causam sive malorum omnium sive potius sermonum fuisse.
19 Quam ob rem illa, quae ex accusatorum oratione praemuniri iam et fingi intellegebam, fretus vestra prudentia, iudices, non pertimesco. Aiebant enim fore testem senatorem, qui se pontificiis comitiis pulsatum a Caelio diceret. A quo quaeram, si prodierit, primum cur statim nihil egerit, deinde, si id queri quam agere maluerit, cur productus a vobis potius quam ipse per se, cur tanto post potius quam continuo queri maluerit. Si mihi ad haec acute arguteque responderit, tum quaeram denique, ex quo iste fonte senator emanet. Nam si ipse orietur et nascetur ex sese, fortasse, ut soleo, commovebor; sin autem est rivolus arcessitus et ductus ab ipso capite accusationis vestrae, laetabor, cum tanta

Testimonia veterum. § 18. Chirius Fortunatianus (art. rhet. l. III § 7): „cum Atratinus Caelium pulchellum Iasonem appellat et Cicero Clodiam *Palatinam Medeam*."

1. *nostras domus*] *nostros* Damsteius. — *posset*] possit P^1. — 2. *domum* delevit Vollgraffius. — 6. *quidem mihi*] *mihi quidem* Σ. — *liceret*] *licet* Baehrensius. — 7. *era* P, *hera* Or. — 9. *aegro* P, *aegra* π. — 11. [*migrationemque*] circumclusi cum Schoellio; *Palatinam migrationem Medeamque* Baehrensius, *P. M. eamque migrationem* Kayserus, *P. M. migrationemque hanc* (pro *huic*) Clarkius. — 12. *causam sive*] omiserunt *sive* Or. Ern. — 15. *aiebant*] *iaciebant* Σ. — 17. *statim nihil*] *statim* expunxit Muretus, pro *nihil* proposuit *non lege* Baehrensius. — *id* omisit Franckenus. — 18. *cur . . . . per se* expunxit Vollgraffius. — 19. *queri maluerit* delevit Karstenus. — 20. *arguteque*] *accurateque* Oetlingius. — *quo iste* $b^2\psi$, *quote* P^1, *quoto* P^2. — 22. *est*] *erit* Lambinus. — *rivolus*] *ut r.* Lambinus. — *arcessitus* Σ, *accersitus* rell.

gratia tantisque opibus accusatio vestra nitatur, unum senatorem solum esse, qui vobis gratificari vellet, inventum.

DE TESTE FUFIO.

Nec tamen illud genus alterum nocturnorum testium pertimesco. 20
Est enim dictum ab illis fore, qui dicerent uxores suas a cena redeuntes attrectatas esse a Caelio. Graves erunt homines, qui hoc iurati dicere audebunt, cum sit iis confitendum numquam se ne congressu quidem et constituto coepisse de tantis iniuriis experiri.
Sed totum genus oppugnationis huius, iudices, et iam prospicitis IX
animis et, cum inferetur, propulsare debebitis. Non enim ab isdem accusatur M. Caelius, a quibus oppugnatur; palam in eum
tela iaciuntur, clam subministrantur. Neque id ego dico, ut invi- 21
diosum sit in eos, quibus gloriosum etiam hoc esse debet: funguntur officio, defendunt suos, faciunt, quod viri fortissimi solent: laesi dolent, irati efferuntur, pugnant lacessiti. Sed vestrae sapientiae tamen est, iudices, non, si causa iusta est viris fortibus oppugnandi M. Caelium, ideo vobis quoque causam putare esse iustam alieno dolori potius quam vestrae fidei consulendi. Quae sit multitudo in foro, quae genera, quae studia, quae varietas hominum, videtis. Ex hac copia quam multos esse arbitramini, qui hominibus potentibus, gratiosis, disertis, cum aliquid eos velle arbitrentur,

T e s t i m o n i a v e t e r u m. § 20. Iulius Severianus (praec. artis rhet. § 23): *uxores suas a cena redeuntes attrectatas esse.*

---

2. *solum esse*] *esse solum* Σ. — 3. DE TESTE FUFIO Σ, om. Pπbψ. — 4. *tamen*] *tandem* Baehrensius, *magis* Franckenus. — *pertimesco*] *perhorresco* Σ. — 5. *uxores suas*] *suas uxores* Σ. — 6. *attrectatas* G, *attrectas* PH, *attractatas* E. — 7. *audebunt*] *audeant* Hbψ^2. — 9. *prospicitis*] *perspicitis* Baehrensius. — 10. *propulsare debebitis*] *debebitis propulsare* Σ. — 12. Inter *iaciuntur* et *clam* Baehrensius inserendum putabat: *ab aliis quam a quibus.* — *subministrantur*] *sumministrantur* P, *administrantur* Σ. — *id ego dico*, *id eo dico* S, *id ego eo dico* Rinkesius, *ego id dico* Σ. — 13. *etiam hoc esse*] *etiam esse hoc* Σ, *hoc* delevit Schoellius. — 15. *pugnant*] *repugnant* Pluygersius. — 17. *vobis quoque* Σ Garatonius, *vobis quoque vos* Pπbψ. — 18. *consulendi* πbψ, *consulend ...* P^1, *consulendum* Σ, unde Clarkius: *consulendi. Iam quae.* — 19. *varietas* P, *varietates* πS Vollgraffius. — 20. *videtis*] *vidistis* Σ. — *qui*] *qui non* Baehrensius. — 21. *disertis* HS, *desertis* P, *disertissimis* L^a, unde Vollgraffius: *divitissimis.*

22 ultro se offerre soleant, operam navare, testimonium polliceri. Hoc ex genere si qui se in hoc iudicium forte proiecerint, excluditote eorum cupiditatem, iudices, sapientia vestra, ut eodem tempore <et> huius saluti et religioni vestrae et contra periculosas <paucorum> hominum potentias condicioni omnium civium providisse videamini. Equidem vos abducam a testibus neque huius iudicii veritatem, quae mutari nullo modo potest, in voluntate testium collocari sinam, quae [facillime effingi], nullo negotio flecti ac detorqueri potest. Argumentis agemus, signis luce omni clarioribus crimina refellemus; res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione pugnabit.

X Itaque illam partem causae facile patior graviter et ornate a
23 M. Crasso peroratam de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana, de bonis Pallae. Vellem dictum esset ab eodem etiam de Dione. De quo ipso tamen quid est quod expectetis? quod is, qui fecit, aut non timet aut etiam fatetur; est enim rex; qui autem dictus est adiutor fuisse et conscius, P. Asicius, iudicio est liberatus. Quod igitur est eius modi crimen, ut, qui commisit, non neget, qui negavit, absolutus sit, id hic pertimescat, qui non modo a facti, verum etiam a conscientiae suspicione afuit? Et si Asicio [causa] plus profuit quam nocuit invidia, huic oberit tuum maledictum, qui istius facti non modo
24 suspicione, sed ne infamia quidem est aspersus? 'At praevaricatione est Asicius liberatus'. Perfacile est isti loco respondere, mihi praesertim, a quo illa causa defensa est. Sed Caelius optimam causam Asici esse arbitratur; cuicuimodi autem sit, a sua putat esse seiunctam. Neque solum Caelius, sed etiam adulescentes

Testimonia veterum. § 22. Victorinus (ad Cic. de invent. I c. 43 p. 110 ed. Or.): „et ideo Cicero in Caeliana: *argumentis agemus*, *signis luce omni clarioribus crimina refellemus*.

---

1. *navare* P^2HS, ... *re* P^1, *commendare* Baehrensius. — 3. ⟨*et*⟩ addidit Halmius. — 4. ⟨*paucorum*⟩ inseruit Vollgraffius; *hominum opulentorum* Baehrensius. — 8. [*facillime effingi* (*fingi* ψ^1)] delevit Schoellius. — 9. *luce omni*] *omni luce* Or. — 14. *ipso*] *occiso* Vollgraffius. — 16. *fuisse et conscius*] *et socius fuisse* E. — 18. *id* delevit Karstenus. — 19. *facti* Naugerius, *facto* codd. — 20. [*causa*] expunxi cum Schoellio; *in causa* Muellerus, *causae* (genet. pendens ab *invidia*) Baehrensius. — 21. *tuum maledictum*] *m. t.* Σ. — 22. *est*] *sit* Σ. — 24. Ante *sed* lacunam statuit Baehrensius. — 25. *cuicuimodi* Ant. Augustinus, *cuiusmodi* codd. — 26. *esse* Σ Or, *eius esse* Pπbψ.

humanissimi et doctissimi, rectissimis studiis atque optimis artibus
praediti, Titus Gaiusque Coponii, qui ex omnibus maxime Dionis
mortem doluerunt, qui cum doctrinae studio atque humanitatis,
tum etiam hospitio Dionis tenebantur. Habitabat apud Titum,
ut audistis, Dio, erat ei cognitus Alexandriae. Quid aut hic aut
summo splendore praeditus frater eius de M. Caelio existimet, ex
ipsis, si producti erunt, audietis. Ergo haec removeantur, ut 25
aliquando, in quibus causa nititur, ad ea veniamus.

Animadverti enim, iudices, audiri a vobis meum familiarem, XI
L. Herennium, perattente. In quo etsi magna ex parte ingenio
eius et dicendi genere quodam tenebamini, tamen non numquam
verebar, ne illa subtiliter ad criminandum inducta oratio ad animos
vestros sensim ac leniter accideret. Dixit enim multa de luxurie,
multa de libidine, multa de vitiis iuventutis, multa de moribus,
et qui in reliqua vita mitis esset et in hac suavitate humanitatis,
qua prope iam delectantur omnes, versari periucunde soleret, fuit
in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister; obiurgavit
M. Caelium, sicut neminem umquam parens; multa de incontinentia
intemperantiaque disseruit. Quid quaeritis, iudices? ignoscebam
vobis attente audientibus, propterea quod egomet tam triste illud
et tam asperum genus orationis horrebam. Ac prima pars fuit 26
illa, quae me minus movebat, fuisse meo necessario Bestiae Caelium
familiarem, cenasse apud eum, ventitasse domum, studuisse
praeturae. [Non me haec movent;] quae perspicue falsa sunt;

---

2. *Coponii . . . . Dio erat* (v. 5) Σ; eadem in S$b^2\psi^2$, nisi quod pro *apud Titum* exhibent: *is apud L. Lucceium*, pro *Dio erat* legunt: *fuerat ei*. In P post *Gaiusque* a librario spatium vacuum quattuor versuum et dimidii relictum est, in quo a manu recentiore haec scripta sunt: *omni cum doctrina homo atque humanitatis tum etiam hospitio Dionis tenebantur. Habitabat is apud L. Lucceium, ut audistis. Fuerat ei*; eadem in EG sed sine *cum* post *omni*. — 7. *removeantur* Σ vett. edd., *removentur* P$\pi b\psi$. — 11. *quodam*] *quodammodo* Vollgraffius. — 12. *subtiliter*] *subtilis et* B. — *inducta*] *instructa* Vollgraffius. — *ad animos . . . accideret* vett. edd., *ad animos . . . accederet* PEG, *animos . . . accenderet* HS, *ad animos arreperet* Baehrensius. — 13. *leniter* G, *leviter* PEHS. — 15. *et qui* ΣG^2, *ut qui* PEG^1S. — 17. *quidam* om. Σ. — 19. *quid quaeritis . . . horrebam* (v. 21) transposuit Damsteius post *attentius* (v. 11) in § 27. — *ignoscebam*] *irascebar* Weiskius. — 21. *et* om. Σ. — *horrebam*] *non abhorrebam* Ernestius. — *ac* vett. edd., *hac* P. — 24. [*non me haec movent*] circumclusit Schoellius. — *quae*] *quia* Baehrensius.

etenim eos una cenasse dixit, qui aut absunt aut quibus necesse est idem dicere. Neque vero illud me commovet, quod sibi in Lupercis sodalem esse Caelium dixit. Fera quaedam sodalitas et plane pastoricia atque agrestis germanorum Lupercorum, quorum coitio illa silvestris ante est instituta quam humanitas atque leges, siquidem non modo nomina deferunt inter se sodales, sed etiam commemorant sodalitatem in accusando, ut, ne quis id forte nesciat,
27 timere videantur! Sed haec ommittam; ad illa, quae me magis moverunt, respondebo.

Deliciarum obiurgatio fuit longa et eo lenior, quo plus disputationis habuit quam atrocitatis; quo etiam audita est attentius. Nam P. Clodius, amicus meus, cum se gravissime vehementissimeque iactaret et omnia inflammatus ageret tristissimis verbis, voce maxima, tametsi probabam eius eloquentiam, tamen non pertimescebam; aliquot enim in causis eum videram frustra litigantem. Tibi autem, Balbe, respondeo primum precario, scilicet si fas est defendi a me eum, qui nullum convivium renuerit, qui unguenta sumpserit, qui
XII 28 Baias viderit. Equidem multos et vidi in hac civitate et audivi,

T e s t i m o n i a v e t e r u m. § 27. Donatus ad Ter. Hec. 551: „*tibi autem, Balbe, respondebo primum precario, si fas est defendi a me eum, qui in hortis fuerit, qui unguenta sumpserit, qui Baias viderit.*"

---

1. *eos* expunxit Schoellius. — *aut quibus*] *aut de quibus* Abramius. — 2. *idem dicere* $P^2\pi b\psi$, *idem d....* P^1, unde Vollgraffius supplevit: *idem dicere de se.* — 3. *sodalem esse*] *e. s.* Σ. — *quaedam*] *ista* schol. ad Luc. I 602. — 4. *pastoricia* $P^2\pi Bb\psi$, *pa....* P^1, unde Halmius coniecit: *pastoralis.* — 7. *ne quis* P^1, *ne quis si* Σ, *ne si quis* $P^2\pi b\psi$. — *id*] *quid* Vollgraffius. — 8. *videantur* Hotomanus et Abramius, *videatur* codd. — *omittam*] *omitto* Σ. — 9. *respondebo* Or Σ, *respondeo* rell. codd. — 10 *et eo* Kayserus, *et ea* codd., *etiam* Clarkius. — *lenior*] *alienior* Σ, unde Clarkius dubitanter: *et a causa alienior.* — *quo plus* scripsi, *plusque* codd. — *disputationis*] *disputatio* ⟨*ista humanitatis*⟩ Franckenus, *disputatio* ⟨*ista suavitatis*⟩ Vollgraffius; *delectationis* Damsteius. — 13. *inflammatus ageret*] *inflammatius ageret* Pantagathus, *inflatius ageret* Clarkius, *inflammans ageret* Baehrensius, *inflammaret* Bakius. — *tristissimis*] *iratissimis* Baehrensius. — 14. *probabam*] *probem* Σ. — 15. *litigantem*] *ita litigantem* Baehrensius. — 16. *respondeo*] *respondebo* Donatus. — *scilicet* S, *si licet* PH, delevit Oetlingius. — 17. Post *convivium* sequuntur in PEG *et nocturnos quosdem* cet. (§ 36) mediis intermissis quae § 17 (cf. ad h. l.) inserta sunt. In margine scriptum est: „hic repete quod dimisisti." Verum verborum ordinem habent HS. — *renuerit* $Hb\psi$, *reminierit* P, *inierit* Σ EG; pro *qui nullum convivium renuerit* Donatus exhibet: *qui in hortis fuerit* — 18. *viderit*] *viserit* Baiterus.

non modo qui primoribus labris gustassent genus hoc vitae et extremis, ut dicitur, digitis attigissent, sed qui totam adulescentiam voluptatibus dedissent, emersisse aliquando et se ad frugem bonam, ut dicitur, recepisse gravesque homines atque illustres fuisse. Datur enim concessu omnium huic aliqui ludus aetati, et ipsa natura profundit adulescentiae cupiditates. Quae si ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles et tolerabiles haberi solent. Sed tu mihi videbare ex communi infamia 29
iuventutis aliquam invidiam Caelio velle conflare; itaque omne illud silentium, quod est orationi tributum tuae, fuit ob eam causam, quod uno reo proposito de multorum vitiis cogitabamus. Facile est accusare luxuriem. Dies iam me deficiat, si, quae dici in eam sententiam possunt, coner expromere; de corruptelis, de adulteriis, de protervitate, de sumptibus immensa oratio est. Ut tibi reum neminem [sed vitia] proponas, res tamen ipsa et copiose et graviter accusari potest. Sed vestrae sapientiae, iudices, est non abduci ab reo nec, quos aculeos habeat severitas gravitasque vestra, cum eos accusator erexerit in rem, in vitia, in mores, in tempora, emittere in hominem et in reum, cum is non suo crimine, sed multorum vitio sit in quoddam odium iniustum vocatus. Itaque severitati 30
tuae, ut oportet, [ita] respondere non audeo; erat enim meum deprecari vacationem adulescentiae veniamque petere; non, inquam, audeo; perfugiis non utor aetatis, concessa omnibus iura dimitto; tantum peto, ut, si qua est invidia communis hoc tempore aeris

T e s t i m o n i a v e t e r u m. § 29. Julius Severianus p. 343 Capp.: „*in quoddam odium sit iniustum vocatus.*"

---

3. *dedissent*] *dedidissent* Ascensus, Hervagius. — 4. *ut dicitur* delevit Vollgraffius. — *illustres*] *industrios* Baehrensius. — 9. *itaque*] *atquei* Baehrensius. — 12. *iam*] *etiam* Franckenus, delevit Baehrensius. — *deficiat* P, *deficiet* πbψ. — 13. *sententiam*] *sententiam iam* (ex v. 12) Baehrensius. — *possunt*] *possint* Ernestius. — *de corruptelis* suspectum habet Muellerus. — 15. [*sed vitia*] uncinis inclusit Bakius; *sed vitia ipsa* Σ. — *res tamen ipsa et copiose* Naugerius Σ, *et copiose* omiserunt Pπbψ; Baehrensius: *res tamen ipsa sat graviter.* — 16. *iudices est*] *est* in rasura P, *est iudices* Halmius. — 18. *in rem* induxit Leutschius. — 19. *in hominem et in reum*] *in hominem et* delevit Leutschius, contra *et in reum* Kayserus. — 20. *itaque*] *itaque ego* Σ. — 21. [*ita*] circumclusit Schoellius; *ita ut oportet* Σ. — 23. *non*] *nihil* Σ. — 24. *invidia* post *iuventuti* (pro *iuventutis* p. 16, v. 1) transposuit Baehrensius.

alieni, petulantiae, libidinum iuventutis (quam video esse magnam), ne huic aliena peccata, ne aetatis ac temporum vitia noceant. Atque ego idem, qui haec postulo, quin criminibus, quae in hunc proprie conferuntur, diligentissime respondeam, non recuso.

XIII Sunt autem duo crimina, auri et veneni, in quibus una atque eadem persona versatur. [Aurum sumptum a Clodia, venenum quaesitum, quod Clodiae daretur, dicitur.] Omnia sunt alia [non crimina, sed maledicta,] iurgii petulantis magis quam publicae quaestionis. 'Adulter, impudicus, sequester' convicium est, non accusatio; nullum est enim fundamentum horum criminum, nulla sedes; voces sunt contumeliosae, temere ab irato accusatore nullo 31 auctore emissae. Horum duorum criminum video fontem, video auctorem, video certum nomen et caput. Auro opus fuit; sumpsit a Clodia, sumpsit sine teste, habuit, quamdiu voluit. Maximum video signum cuiusdam egregiae familiaritatis. Necare eandem voluit; quaesivit venenum, sollicitavit, quos potuit, paravit, locum constituit, attulit. Magnum rursus odium video cum crudelissimo discidio extitisse. Res est omnis in hac causa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non solum nobili, sed etiam nota; de qua ego nihil 32 dicam nisi depellendi criminis causa. Sed intellegis pro tua praestanti prudentia, Cn. Domiti, cum hac sola rem esse nobis.

Testimonia veterum. § 31. Quint. IX 4, 97: „optime praecedet eum (sc. spondeum) creticus, ut in hoc: *de qua ego nihil dicam, nisi depellendi criminis causa* . . . . potest, etiamsi minus bene, praeponi anapaestus: *muliere non solum nobili verum etiam nota.*"

§ 32. Arusianus Messius p. 475 K.: „Cicero pro Caelio: *si matrem familias, secus quam matronarum sanctitas postulat, nominamus.*"

---

2. *ne huic*] *tam ne h. Σ*, *tamen ne h.* Wrampelmeyerius. — 6. *versatur*] *urgetur* HS, *vocatur* Baehrensius; *versatur*, *ut dicitur* W, unde Schoellius: *inducitur.* — *aurum* . . . . . *dicitur* (v. 7) uncis inclusit Schoellius; verba in P partim in rasura, partim supra lineam scripta sunt. — 7. *daretur*, *dicitur*] *daretur*, *ut dicitur Σ.* — *omnia sunt alia non*] *omnia alia non sunt* Weiskius; *alia*] *talia Σ*, *illa* Ernestius. — [*non crimina*, *sed maledicta*] damnavit Schoellius. — 10. *criminum*] *omnium* Vollgraffius. — *nulla*] *nullae Σ.* — 11. *ab irato accusatore*] *arbitratu accusatoris* b²ψ. — 12. *fontem*, *video auctorem*] *auctorem video fontem Σ.* — 14. *maximum*] *magnum* Bakius. — 15. *necare* b¹G²ψ Ernestius, *negare* Pπb². — 16. *sollicitavit*, *quos potuit*, *paravit*] *sollicitavit servos*, *potionem paravit* Baehrensius; *sollicitavit*, *quos potuit*, *paravit opem* Schoellius. — *locum*] *quam locum Σ* W, unde Wrampelmeyerius: *postquam locum.* — 17. *attulit*] *clam attulit* Clarkius. — 19. *nobili*, *sed* (*nobi* . . . . P¹)P²πbψ, *nobili*, *verum Σ* Quint.

Quae si se aurum Caelio commodasse non dicit, si venenum ab hoc sibi paratum esse non arguit, petulanter facimus, si matrem familias secus, quam matronarum sanctitas postulat, nominamus. Sin ista muliere remota nec crimen ullum nec opes ad oppugnandum Caelium illis relinquuntur, quid est aliud, quod nos patroni facere debeamus, nisi ut eos, qui insectantur, repellamus? Quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro — fratre volui dicere; semper hic erro. Nunc agam modice nec longius progrediar, quam me mea fides et causa ipsa coget. Neque enim muliebres umquam inimicitias mihi gerendas putavi, praesertim cum ea, quam omnes semper amicam omnium potius quam cuiusquam inimicam putaverunt.

Sed tamen ex ipsa quaeram prius, utrum me secum severe et XIV
graviter et prisce agere malit an remisse et leniter et urbane. Si 33
enim illo austero more ac modo, aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa

Testimonia veterum § 32. Iulius Rufinianus de fig. sent. § 7: „σαρκασμός .... et pro Caelio: *quod facerem vehementius, nisi mihi intercederent inimicitiae cum istius mulieris viro — fratre volui dicere; semper hic erro.*" Claudius Sacerdos p. 468 K: „et Cicero: *cum huius mulieris viro — fratrem volui dicere; semper hic erro.*" C. Iulius Victor, de figuratis XXI p. 435 Halm: „ut Marcus Tullius: *semper hic erro.*"

§ 32. Quint. IX 2, 99: „levissimum autem longe genus ex verbo, etiamsi est apud Ciceronem in Clodiam: *praesertim quam omnes amicam potius quam cuiusquam inimicam putaverunt.*"

§ 33. Aquila Romanus, de fig. sent. III: „talis est illa pro Caelio Appii Caeci persona, inducta contra Clodiam ita dicens: *mulier, quid tibi cum Caelio? quid cum adulescentulo? quid cum alieno?* Rhet. inc. in Anecd. Paris. p. 5 (ed. Eckstein): „προσωποποιία . . . defuncti. *Mulier quid tibi cum adulescentulo, quid cum alieno?*" Iulius Severianus, praec. art. rhet. § 11: „propositis quibus responsuri sumus, quaerendum nobis erit an inter se comparata repugnantia sint, ut suis armis corruant... item pro Caelio: *cur aut tam familiaris fuisti ut aurum commodares aut tam inimica ut venenum timeres?* Quint. IX 4, 102: „bacchius et claudit et sibi iungitur *venenum timeres*, vel choreum et spondeum ante se amat: *ut venenum timeres.*"

---

1. alterum *si* om. HS^1. — 4. *opes* HS, *opus* P. — 5. *Caelium*] *M. Caelium Σ.* — *relinquuntur*] *relinquontur* P, *relinquentur* HS. — 7. *intercederent mihi*] *m. i.* Rufinianus. — 8. *fratre* Pπbψ Ruf., *fratrem* SΣBb^2 Claud. Sac. — 10. *coget*] *cogit* Σb^2. — *neque*] *nec Σ.* — *inimicitias mihi*] *m. i. Σ.* — 11. *cum ea* om. Quint. — *semper* om. Quint. — 14. *si enim* Baehrensius, *sin* PπbψB, *si* Ernestius. — 16. *hac barbula*] *ex barbula illa* ΣB. — *sed illa* ΣB, vett. edd., *sed ex illa* cett. codd.

horrida, quam in statuis antiquis atque imaginibus videmus, qui obiurget mulierem et pro me loquatur, ne mihi ista forte suscenseat. Existat igitur ex hac ipsa familia aliquis ac potissimum Caecus ille; minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit. Qui profecto, si extiterit, sic aget ac sic loquetur: 'Mulier, quid tibi cum Caelio, quid cum homine adulescentulo, quid cum alieno? Cur aut tam familiaris huic fuisti, ut aurum commodares, aut tam inimica, ut venenum timeres? Non patrem tuum videras, non patruum, non avum, non proavum, <non abavum>, non atavum
34 audieras consules fuisse; non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuisse sciebas, clarissimi ac fortissimi viri patriaeque amantissimi, qui simul ac pedem limine extulerat, omnis prope civis virtute, gloria, dignitate superabat? Cum ex amplissimo genere in familiam clarissimam nupsisses, cur tibi Caelius tam coniunctus fuit? cognatus, affinis, viri tui familiaris? Nihil eorum. Quid igitur fuit nisi quaedam temeritas ac libido? Nonne te, si nostrae imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia, aemulam domesticae laudis in gloria muliebri esse admonebat, non virgo illa Vestalis Claudia, quae patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno plebei de curru detrahi passa non est? Cur te fraterna vitia potius quam bona paterna et avita et usque a nobis cum in viris, tum etiam in feminis repetita commoverunt? Ideone ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpissimorum cotidie foedera ferires, ideo aquam adduxi, ut ea tu inceste uterere, ideo viam munivi, ut eam tu alienis viris comitata celebrares?"

Testimonia veterum. § 34. Priscianus XVIII 2, 20 K.: „Cicero pro Caelio: *clarissimi ac fortissimi patriaeque amantissimi.*" Quint. IX, 4, 104: „accipiet ante se choreus et pyrrhichium: *omnes prope cives virtute, gloria, dignitate superabat.*"

---

2. *et*] *et qui* Σ. — *suscenseat* P, *succenseat* HS. — 6. *homine* om. Aquila. — Post *adulescentulo* in P duo verba erasa sunt. — 7. *familiaris huic*] *f. huius* ΣB, *familiaris* Severianus. — *commodares*] *accommodares* ΣB. — 9. *non proavum* ΣB, *proavum* rell. codd. — ⟨*non abavum*⟩ inseruit Clarkius, ⟨*abavum*⟩ Orellius, Nipperdeius. — *non atavum* Clarkius, *non atavum non* ΣB, *atavum* rell. codd. — 13. *cum*] *cui cum* Or. — 14. *nupsisses*] *innupsisses* Oudendorpius. — 15. *eorum*] *horum* b^1 Ernestius. — 17. *ne* et *quidem* om B. — 23. *commoverunt* Schoellius, Clarkius, *moverunt* P sed *mov* in rasura maiore; *allectaverunt* Halmius, Vollgraffius.

Sed quid ego, iudices, ita gravem personam induxi, uti verear, XV
ne se idem Appius repente convertat et Caelium incipiat accusare 35
illa sua gravitate censoria? Sed videro hoc posterius, atque ita, iudices, ut vel severissimis disceptatoribus M. Caeli vitam me probaturum esse confidam. Tu vero, mulier, (iam enim ipse tecum nulla persona introducta loquor) si ea, quae facis, quae dicis, quae insimulas, quae moliris, quae arguis, probare cogitas, rationem tantae familiaritatis, tantae consuetudinis, tantae coniunctionis reddas atque exponas necesse est. Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Baias, actas, convivia, comissationes, cantus, symphonias, navigia iactant, idemque significant nihil se te invita dicere. Quae tu, quoniam mente nescio qua effrenata atque praecipiti in forum deferri iudiciumque voluisti, aut diluas oportet [aut falsa esse doceas] aut nihil neque crimini tuo neque testimonio credendum esse fateare.

Sin autem urbanius me agere mavis, sic agam tecum; removebo 36
illum senem durum ac paene agrestem; ex tuis igitur sumam aliquem ac potissimum minimum fratrem, qui est in isto genere urbanissimus; qui te amat plurimum, qui propter nescio quam,

Testimonia veterum. § 35. Quint. IX 2, 60: „hinc est quasi paenitentia dicti, ut pro Caelio: *sed quid ego ita gravem personam introduxi?*"

§ 36. Quint. VIII 3, 22: „*pusio qui cum maiore sorore cubitabat.*" C. Iulius Victor, de figuratis XXI p. 435 Halm: „tertium genus est, quod etsi palam liceat dicere, elegantius tamen figuratur, ut Marcus Tullius: *semper hic erro* et *cum propter nocturnos metus cum sorore cubitaret* et talia."

---

1. *induxi*] *introduxi* Quint. — *uti* Baehrensius, *ut et* Pπbψ, *ut* Σ, *ut etiam* Wesenbergius. — 4. *iudices*] *videro* Halmius. — *ut vel* ΣS, *vel* PHEbψ, om. *ut vel* G. — 6. *loquor*] *loquar* Σ. — 6/7. *Si ea quae facis*, *quae dicis*, *quae insimulas*, *quae moliris*, *quae arguis* $\Sigma Sb^2\psi^2$ (sed b^2 om. *quae* ante *moliris*, ψ^2 om. *quae insimulas*); in P inter *si ea quae* et *probare* (v. 7) spatium vacuum unius versus et dimidii relictum, lacuna autem vetere manu ita expleta: *facis quae dicis quae in sororem tuam moliris quae argumenta*, unde Schoellius coniecit: *quae factis dictisque in osorem tuum moliris*, *quae argumentis probare* cet., Barnesius: *quae in foro tuo rem tuam moliris.* — 10. *adulteria* . . . *convivia* . . . *cantus* . . . *navigia* delevit Vollgraffius auctore Franckeno, Baehrensius tantum *cantus* expunxit. — *actas* P, *acta* πSbψ. — 13. *praecipiti*] *praeceps* Σ. — 14. [*aut falsa esse doceas*] cum Schoellio delevi; qui retinent, cum Halmio legunt *ac* pro *aut.* — 17. *ex tuis igitur* Schoellius, *ex istis tuis* Madvigius, *ex intimis tuis* Vollenhovenius, *ex his iunioribus* Baehrensius, *ex his igitur* P^1 Clarkius, *ex his igitur tuis* $P^2\pi Sb\psi$.

credo, timiditatem et nocturnos quosdam inanes metus tecum semper pusio cum maiore sorore cubitavit. Eum putato tecum loqui „quid tumultuaris, soror? quid insanis?

Quíd clamorem exórsa verbis párvam rem magnám facis?

Vicinum adulescentulum aspexisti; candor huius te et proceritas, vultus oculique pepulerunt; saepius videre voluisti; fuisti non numquam in isdem hortis; vis nobilis mulier illum filium familias patre parco ac tenaci habere tuis copiis devinctum; non potes; calcitrat, respuit, non putat tua dona esse tanti; confer te alio. Habes hortos ad Tiberim ac diligenter eo loco parasti, quo omnis iuventus natandi causa venit; hinc licet condiciones cotidie legas; cur huic, qui te spernit, molesta es?"

XVI Redeo nunc ad te, Caeli, vicissim ac mihi auctoritatem patriam 37 severitatemque suscipio. Sed dubito, quem patrem potissimum sumam, Caecilianumne aliquem vehementem atque durum:

Núnc enim demum mi ánimus ardet, núnc meum cor cumulátur ira,

aut illum:

Ó infelix, ó sceleste! egón quid dicam, quíd velim?
Quae ómnia tu tuis foédis factis fácis ut nequiquám velim.

Ferrei sunt isti patres, vix ferendi. Diceret talis pater: 'Cur te in istam vicinitatem meretriciam contulisti? Cur illecebris cognitis non refugisti?"

---

1. *credo* om. Vollgraffius cum G. — 2. *cubitavit*] *cubitabat* Quint. — 4. *clamorem* Ribbeckius, *clamore* codd. Baehrensius. — *verbis*] *turbas* Baehrensius. — 7. *pepulerunt* πSΣbψ, *perpulerunt* P. — *saepius videre voluisti* transposuit Bakius post *hortis*. — — *fuisti*] *vidisti* Bakius. — 8. *in isdem hortis*] *domi*, *in hortis* Bakius, *eius domi*, *in hortis* Schoellius. — *vis* P^1 Madvigius, *visa* P^2 πbψ. — *nobilis*] *mobilis* Baehrensius. — *illum* expunxit Bakius. — 9. *potes* : : : P, *potest* Σ. — 10. *respuit*] *respuit repellit* ΣB. — *dona esse*] *e. d.* Σ. — 11. *parasti* P, *paratos* ΣB, *praeparasti* πbψ. — 15. *suscipio*] *suspicio* PG^1. — 17. *demum mi* Ribbeckius, *demum mihi* Pπbψ, *mihi demum* B. — 20. *o infelix* cet. numeros trochaios restituit Franckenus. — *quid velim* Spengelius, Ribbeckius, *egone quid velim* Pπbψ. — 21. *omnia tu* Franckenus, *tu omnia* codd. — 23. *ferrei sunt isti patres* huc transposui cum Baehrensio, in codd. leguntur post *sceleste* (v. 20). — *vix ferendi* induxerunt Franckenus et Schoellius.

Cúr alienam ullám mulierem nósti? dide ac dísice!
Pér me licet: <ením> si egebis, tíbi dolebit, <nón mihi>;
Míhi sat est, qui aetátis quod relícuomst oblectém meae.

Huic tristi ac derecto seni responderet Caelius se nulla cupiditate inductum de via decessisse. Quid signi? Nulli sumptus, nulla iactura, nulla versura. 'At fuit fama'. Quotus quisque istam effugere potest in tam maledica civitate? Vicinum eius mulieris miraris male audisse, cuius frater germanus sermones iniquorum effugere non potuit? Leni vero ac clementi patre, cuiusmodi ille est: 38

Forés ecfregit? réstituentur; díscidit
Vestém? resarciétur,

filii causa est expeditissima. Quid enim esset, in quo se non facile defenderet? Nihil iam in istam mulierem dico; sed, si esset aliqua dissimilis istius, quae se omnibus pervolgaret, quae haberet palam decretum· semper aliquem, cuius in hortos, domum, Baias iure suo libidines omnium commearent, quae etiam aleret adulescentes et parsimoniam patrum suis sumptibus sustentaret; si vidua libere, proterva petulanter, dives effuse, libidinosa meretricio more viveret, adulterum ego putarem, si quis hanc paulo liberius salutasset?

Testimonia veterum. § 38. Quint. VIII 4, 1: „utriusque pariter exemplum est pro M. Caelio: *si vidua libere, proterva petulanter, dives effuse, libidinosa meretricio more viveret, adulterum ego putarem, si qui hanc paulo liberius salutasset?*"

---

1. *cur alienam* cet. numeros trochaicos restituit Franckenus. — *alienam* om. Σ. — *disice* Franckenus, *disce* P, *dissice* Σ Puteanus. — 2. *licet*, ⟨*enim*⟩ Baehrensius, ⟨*tibi*⟩ *licet* Franckenus, *licebit* codd. — ⟨*non mihi*⟩ addidit Franckenus. — 5. *derecto* P, *directo* EG, *decrepito* HS. — *se nulla . . . . in tam* (v. 8) om. P[1] in lacuna, quae expleta est manu secunda; eadem verba partim exstant in fragm. Taur. — *se nulla cupiditate inductum de via decessisse* spuria iudicaverunt Oetlingius et Vollgraffius. — 7. *quisque*] *quisque est qui* T, Halmius (mox idem *possit* pro *potest*). — 8. *effugere*] *praesertim effugere* Σ B, unde Clarkius: *qu. qu. i. e. p., praesertim in tam* cet. — 9. *iniquorum*] *inimicorum* S. — 10. *patre* S, Schwartzius, *patri* codd. rell. — 12. *ecfregit* Muellerus, *etfregit* P[1], *effregit* P[2]πbψ. — 14. *filii*] *Caelii* Angelius. — *esset*] *est* E, Bakius. — 16. *dissimilis*] *haud dissimilis* Vollgraffius. — 17. *decretum*] *delectum* Garatonius, *devinctum* Vollgraffius, *de caterva* Franckenus. — *Baias*] *balneas* Pantagathus. — 19. *sustentaret*] *sustineret* Σ. — 21. *quis*] *qui* Quint.

XVII 39 Dicet aliquis: „haec igitur est tua disciplina? sic tu instituis adulescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit et tradidit, ut in amore atque in voluptatibus adulescentiam suam collocaret, et ut hanc tu vitam atque haec studia defenderes?" Ego, si qui, iudices, hoc robore animi atque hac indole virtutis ac continentiae fuit, ut respueret omnis voluptatis omnemque vitae suae cursum in labore corporis atque in animi contentione conficeret, quem non quies, non remissio, non aequalium studia, non ludi, non convivia delectarent, <qui> nihil in vita expetendum putaret, nisi quod esset cum laude et cum dignitate coniunctum, hunc mea sententia divinis quibusdam bonis instructum atque ornatum puto. Ex hoc genere illos fuisse arbitror Camillos, Fabricios, Curios omnisque eos, qui haec ex minimis tanta fecerunt.

40 Verum haec genera virtutum non solum in moribus nostris, sed vix iam in libris reperiuntur. Chartae quoque, quae illam pristinam severitatem continebant, obsoleverunt; neque solum apud nos, qui hanc sectam rationemque vitae re magis quam verbis secuti sumus, sed etiam apud Graecos, doctissimos homines, quibus, cum facere non possent, loqui tamen et scribere honeste et magnifice licebat, alia quaedam mutatis [Graeciae] temporibus praecepta extiterunt.

Testimonia veterum. § 39. Quint. IX 2, 15: „aliter pro Caelio ficta interrogatione: *dicet aliquis: haec igitur est tua disciplina? sic tu instituis adulescentes?* et totus locus. Deinde: *ego, si qui, iudices, hoc robore animi atque hac indole virtutis ac continentiae fuit* et cetera."

§ 40. Priscianus IX 10, 54 K: „idem pro Caelio: *chartae quoque, quae illam pristinam severitatem obtinebant, obsoleverunt.*"

---

1. *igitur est* PEG Quint., *e. i.* T. — *disciplina*] *discipulina* Σ (cf. de rep. II 19). — 2. *parens* post *causam* habet Σ. — 3. *amore*] *amoribus* Σ. — 3. *atque*] *et* T. — 4. *et ut* T Σ, *et* P Bakius. — *defenderes*] *defendes* Bakius. — 5. *qui* PH, *quis* ΣSG, *quid* T. — *atque*] *atque in* T. — 6. *ac* PπbψB Quint., *ad* (ex *adq*) T, unde Halmius: *atque*. — 7. *vitae suae*] *s. v.* ΣB. — *cursum* HS, *cursim* P. — *atque in*] *atque* ΣB. — 9. *convivia*] *convivium* TB, Clarkius. — *delectarent*] *delectaret* Clarkius. — <*qui*> addidit Halmius. — 11. *mea sententia*] *ex animi sententia* Damsteius. — 12. *puto*] *putate* Franckenus, *putatote* Vollgraffius. — 13. *Fabricios* ante *fuisse* (v. 12) exhibet T. — *Curios*] *Furios* B. — 15. *repperiuntur. carthae* P. — 16. *continebant*] *obtinebant* Priscianus. — 17. *vitae re*] *vita et re* Bakius. — 18. *doctissimos homines*] abesse malim. — 20. *alia* TG^{2}Σ, *aliqua* PEG^{1}Hbψ. — [*Graeciae*] circumclusit Vollgraffiius, *mutatis Graeciae temporibus* suspecta habet Franckenus.

Itaque alii voluptatis causa omnia sapientem facere dixerunt, 41
neque ab hac orationis turpitudine eruditi homines refugerunt; alii cum voluptate dignitatem coniungendam putaverunt, ut res maxime inter se repugnantes dicendi facultate coniungerent; illud unum derectum iter ad laudem cum labore qui probaverunt, prope soli iam in scholis sunt relicti. Multa enim nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita virtus coniveret interdum; multas vias adulescentiae lubricas ostendit, quibus illa insistere aut ingredi sine casu aliquo aut prolapsione vix posset; multarum rerum iucundissimarum varietatem dedit, qua non modo haec aetas, sed etiam iam corroborata caperetur. Quam ob rem si quem 42
forte inveneritis, qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non sapore capiatur, excludat auribus omnem suavitatem, huic homini ego fortasse et pauci deos propitios, plerique autem iratos putabunt. Ergo haec deserta via et inculta XVIII
atque interclusa iam frondibus et virgultis relinquatur; detur aliquid aetati; sit adulescentia liberior; non omnia voluptatibus denegentur; non semper superet severa illa et derecta ratio; vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, dum modo illa in hoc genere praescriptio moderatioque teneatur, <ut> parcat iuventus pudicitiae suae, ne spoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne faenore trucidetur, ne incurrat in alterius domum atque famam, ne probrum castis, labem integris, infamiam bonis inferat; ne quem vi terreat, ne intersit insidiis, scelere careat; postremo, cum paruerit voluptatibus,

Testimonia veterum. § 41. Petronius Sat. 3: „nam nisi dixerint quod adulescentuli probent, ut ait Cicero, *soli in scholis relinquentur.*"

---

1. *sapientem* Bakius, *sapientes* codd. — 2. *neque . . . homines refugerunt* expunxit Vollgraffius. — 3. *coniungendam*] *copulandam* Orellius, *iungendam* Baehrensius. — *ut . . . . coniungerent* (v. 4) expunxit Vollgraffius. — 4. *dicendi*] *docendi* Bakius. — 5. *derectum* Franckenus, *directum* codd. — *cum labore* delevit Vollgraffius. — 6. *soli iam* codd. Petronius, *iam solis* Oetlingius. — 7. *interdum* Madvigius Σ, *et interdum* cett. codd. — 9. *aut prolapsione*] *ac p.* TBOr. — *multarum*] *et m.* TH. — 15. *putabunt*] *putaverunt* T. — 16. *et*] *ac* Σ. — 17. *aliquid* Pπbψ, *aliqui ludus* T. — *voluptatibus*] *cupiditatibus* Σ. — 18. *severa* Baehrensius, *vera* codd. — *et*] *ac* Σ — *derecta* PΣ, *directa* πbψ. — *ratio*] *via et ratio* Σ. — 19. *rationem* delevit Vollgraffius. — 20. ⟨*ut*⟩ addidit Bakius. — 22. *famam*] *familiam* Lambinus Σ, *nomen atque famam* Bakius.

dederit aliquid temporis ad ludum aetatis atque ad inanis hasce adulescentiae cupiditates, revocet se aliquando ad curam rei domesticae, rei forensis reique publicae, ut ea, quae ratione antea non perspexerat, satietate abiecisse, experiendo contempsisse videatur.

43 Ac multi et nostra et patrum maiorumque memoria, iudices, summi homines et clarissimi cives fuerunt, quorum cum adulescentiae cupiditates deferbuissent, eximiae virtutes firmata iam aetate extiterunt. Ex quibus neminem mihi libet nominare; vosmet vobiscum recordamini. Nolo enim cuiusquam fortis atque illustris viri ne minimum quidem erratum cum maxima laude coniungere. Quod si facere vellem, multi a me summi atque ornatissimi viri praedicarentur, quorum partim nimia libertas in adulescentia, partim profusa luxuries, magnitudo aeris alieni, sumptus, libidines nominarentur, quae multis postea virtutibus obtecta adulescentiae, qui

XIX vellet, excusatione defenderet. At vero in M. Caelio (dicam enim

44 iam confidentius de studiis eius honestis, quoniam audeo quaedam fretus vestra sapientia libere confiteri) nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum aes alienum, nulla conviviorum ac lustrorum libido. Quod quidem vitium ventris et gurgitis non modo non minuit aetas hominibus, sed etiam auget. Amores autem et hae deliciae, quae vocantur, quae firmiore animo praeditis diutius molestae non solent esse (mature enim et celeriter deflorescunt)

45 numquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt. Audistis, cum pro se diceret; audistis antea, cum accusaret (defendendi

---

1. *dederit . . . . cupiditates* (v. 2) interpolata putabat Franckenus; coniecit Baehrensius: *dederit aliquid temporis ad ludum aetati, satiaverit naturales hasce adulescentiae cupiditates.* — 3. *ratione*] *ignoratione* Vollgraffius. — 4. *abiecisse*] *abiecisse et* Σ, Baehrensius: *experiendo contempsisse, satietate abiecisse.* — 5. *multi*] *multi quidem* Σ. — 7. *deferbuissent* S, *deferuuissent* P^1, *defervissent* P^2πΣ. — 8. *libet* Madvigius Σ, *liquet* P, *necesse est* πSbψ. — 13. *profusa*] *profluxa* EGΣ. — 16. *iam*] *hoc* Σ. — *quoniam* Muretus Σ, *quondam* cett. codd. — *audeo*] *audebo* Bakius. — 17. *libere*] *liberi* P^1, fortasse ex *liberius.* — 18. *lustrorum*] *stuprorum* Σ. — 19. *lubido* P. — *quod quidem . . . auget* (v. 20) delet Damsteius. — *gurgitis*] *gutturis* ed. Rom. (a^0 1471); *gulae* Lambinus. — 20. *hae deliciae*] *hae* om. Σ. — 21. *quae firmiore* HS, *quam f.* P. — *firmiore*] *firmo* Σ, *iam firmiore* Halmius. — *quae firmiore . . . . deflorescunt* (v. 22) proscribit Damsteius. — 22. *non* delevit Bakius. — *et celeriter* abesse mavult Schoellius. — 23. *impeditumque*] *impeditumve* Clarkius (*ne impeditum que* Σ).

causa haec, non gloriandi eloquor); genus orationis, facultatem, copiam sententiarum atque verborum, quae vestra prudentia est, perspexistis; atque in eo non solum ingenium elucere eius videbatis, quod saepe, etiamsi industria non alitur, valet tamen ipsum suis viribus, sed inerat, nisi me propter benivolentiam forte fallebat, ratio et bonis artibus instituta et cura et vigiliis elaborata. Atqui scitote, iudices, eas cupiditates, quae obiciuntur Caelio, atque haec studia, de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse. Fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, saepe nimia copia, inopia etiam non numquam impeditus, hoc, quidquid est, quod nos facimus in dicendo, quoquo <modo facimus, non> modo agendo, verum etiam cogitando possit sustinere. An vos aliam causam esse ullam putatis, cur in tantis praemiis 46
eloquentiae, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gratia, tanto honore tam sint pauci semperque fuerint, qui in hoc labore versentur? Obterendae sunt omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, convivium, sermo paene est familiarium deserendus. Quare in hoc genere labor offendit homines a studioque deterret, non quo aut ingenia deficiant aut doctrina puerilis. An 47
hic, si sese isti vitae dedidisset, consularem hominem admodum

T e s t i m o n i a v e t e r u m. § 46. Nonius Marcellus 209 M (309 L): „iocus genere masculino; Cicero pro Caelio: *ludus iocus sermo paene est familiarium deserendus.*" § 47. Arusianus Messius VII p. 465 K: „*hic si se isti vitae dedisset*" (scripsit tamen sine dubio *dedidisset*, quoniam locus laudatur s. v. *dedo*).

---

1. *causa haec* H, *haec causa* P, *haec* om. S. — *eloquor*] *loquor* Naugerius Σ. — *genus* expunxit Franckenus, genet. *orationis* cum *facultatem* iungens. — 2. *vestra prudentia est*] *vestrae si prudentiae* (fortasse ex: *vestra est prudentia*) Σ. — 5. *inerat*] *in eo erat* Lambinus. — 6. *ratio*] *oratio* Vollgraffius. — *et vigiliis*] *ac vigiliis* Klotzius. — *atqui* La Σ, *atque* codd. — 8. *disputo*] *disputato* P[1], *disputavi* Σ. — 9. *desiderio*] *desidia* Lehmannus. — 11. ⟨*modo facimus non*⟩ supplevit Madvigius, exhibet Σ, om. Pπbψ; *non modo agendo* (om. *quoquo modo facimus*) S. — 14. *tanta voluptate dicendi* expunxit Vollgraffius; *discendi* Bakius. — 16. *obterendae*] *opterendae* PH, *omittendae* Σ. — *studia delectationis* delevit Vollgraffius. — 17. *convivium* om. Nonius. — *paene est* codd. Nonius, *est paene* Or. Σ. — 18. *quare*] *quae res* SHbψ[2] — *labor offendit homines* Madvigius Σ, *labore fiendi homines* P, *labor confitendi homines* EG, *homines a labore studioque discendi deterret* SHbψ[2], *quare in hoc genere labor et contentio homines studiumque deterret* Bakius. — 20. *hic* om. Σ. — *sese*] *se* Arusianus. — *isti vitae*] *isti lasciviae* Baehrensius. — *dedidisset* Arusianus, *dedisset* codd.

adulescens in iudicium vocavisset? Hic, si laborem fugeret, si obstrictus voluptatibus teneretur, in hac acie cotidie versaretur, appeteret inimicitias, in iudicium vocaret, subiret periculum capitis ipse, inspectante populo Romano tot iam menses aut de
XX salute aut de gloria dimicaret? Nihil igitur illa vicinitas redolet, nihil hominum fama, nihil Baiae denique ipsae loquuntur? Illae vero non loquuntur solum, verum etiam personant huc unius mulieris libidinem esse prolapsam, ut ea non modo solitudinem ac tenebras atque haec flagitiorum integumenta non quaerat, sed in turpissimis rebus frequentissima celebritate et clarissima luce laetetur.

48 Verum si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum iuventuti putet, est ille quidem valde severus (negare non possum), sed abhorret non modo ab huius saeculi licentia, verum etiam a maiorum consuetudine atque concessis. Quando enim hoc non factum est, quando reprehensum, quando non permissum, quando
49 denique fuit, ut, quod licet, non liceret? Hic ego nullam rem definiam, mulierem nullam nominabo; totum in medio relinquam. Si quae [non] nupta mulier domum suam patefecerit omnium cupiditati palamque sese in meretricia vita collocarit, virorum alienissimorum conviviis uti instituerit, si hoc in urbe, si in hortis, si in Baiarum illa celebritate faciat, si denique ita sese gerat non incessu solum, sed ornatu atque comitatu, non flagrantia oculorum, non libertate sermonis, sed etiam complexu,

---

2. *in hac*] *hac in* Σ. — 3. *vocaret, subiret*] *vocans subiret* Baehrensius. — 4. *capitis ipse* Halmius, *capitis, ipse* PH, *capitis, ipso* ed. Rom. — *tot iam* Lambinus Σ, *tot t*::::P, *tot* cett. codd. — 5/6. *nihil .... nihil*] *nihilne .... nihilne* Σ. — 10. *rebus*] *viris* Σ. — 13. *negare non possum* interpolata putat Damsteius. — 14. *huius* G^{2}HΣ, *eius* cett. codd. — 15. *concessis*] *concessu* Ernestius; *consensu* mavult Muellerus. — 16. *factum*] *factitatum* Lambinus Σ. — 17. *ut*] *ubi* Ernestius. — *nullam rem definiam* Muellerus, *iam rem d.* Pπbψ Damsteius, *iam d. rem* Σ, *ipsam rem d.* Halmius, *iam* delevit Schoellius. — 18. *totum* Kochius, *tantum* codd., *factum* Baehrensius, *tantummodo* Vollgraffius, *mulierem* [*nullam nominabo*] *tantum* ⟨*quod*⟩ *in medio relinquam* Damsteius. — 19. [*non*] delevit Franckenus. — 20. *palamque .... collocarit* inclusit Schoellius; *palamque .... collocans* Baehrensius. — 21. *in urbe* G^{2}HΣ, *urbe* cett. codd. — 22. *faciat* duo Oxon. Bakius, *facit* P^1, *faciet* P^{2}π, *faceret* b. — 23. *gerat* tres Oxon. Bakius Σ, *geret* Pπψ, *gereret* b. — 24. *oculorum, non*] *oculorum modo et* Baehrensius. — *sermonis*] *sermonum* Σ.

osculatione [aquis, navigatione, conviviis,] ut non solum meretrix, sed etiam proterva meretrix procaxque videatur: cum hac si qui adulescens forte fuerit, utrum hic tibi, L. Herenni, adulter an amator, expugnare pudicitiam an explere libidinem voluisse
videatur? Obliviscor iam iniurias tuas, Clodia, depono memoriam 50
doloris mei; quae abs te crudeliter in meos me absente facta sunt, neglego; ne sint haec in te dicta, quae dixi. Sed ex te ipsa requiro, quoniam et crimen accusatores abs te et testem eius criminis te ipsam dicunt se habere: Si quae mulier sit eius modi, qualem ego paulo ante descripsi, tui dissimilis, vita institutoque meretricio, cum hac aliquid adulescentem hominem habuisse rationis num tibi perturpe aut perflagitiosum esse videatur? Ea si tu non es, sicut ego malo, quid est, quod obiciant Caelio? Sin eam te volunt esse, quid est, cur nos crimen hoc, si tu contemnis, pertimescamus? Quare nobis da viam rationemque defensionis. Nam aut pudor tuus defendet nihil a M. Caelio petulantius esse factum aut impudentia et huic et ceteris magnam ad se defendendum facultatem dabit.

Sed quoniam emersisse iam e vadis et scopulos praetervecta XXI
videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur. 51
Duo sunt enim crimina una in muliere summorum facinorum: auri, quod sumptum a Clodia dicitur, et veneni, quod eiusdem Clodiae necandae causa parasse Caelium criminantur. Aurum

Testimonia veterum. § 50. Arusianus Messius VII p. 495 K: „*obliviscor iniurias tuas, Clodia.* Servius ad Aen. II 148: „amissos obliviscere, ut *obliviscor iniurias tuas, Clodia.*"

---

1. [*aquis, navigatione, conviviis*] delevit Schoellius; isdem verbis deletis Baehrensius inserit: *osculatione‹que in salutatione›*. — *non solum meretrix*] *n. s. moecha* Schoellius. — 2. *sed etiam proterva meretrix* $\Sigma b^2\psi^2$, om. $P\pi b\psi$, *non solum proterva procaxque sed meretrix* Vollgraffius. — 5. *tuas* Σ Arusianus, Servius; om. $P\pi b\psi$. — 10. *tui . . . . meretricio* (v. 11) expunxit Vollgraffius. — 12. *num* P^2HS, *non* P^1. — 13. *obiciant* PG, *obiciunt* HS. — 16. *nam aut*] *aut enim* Σ. — *esse factum*] *factum esse* Σ. — 17. *et ceteris magnam ad se* inseruit Aldus avus, exhibet Σ, om. cett. codd.; *et huic . . . . dabit* (v. 18) delevit Schoellius; *ei sui defendendi facultatem dabit* Madvigius, *impudentia tua etiam huic ad defendendum facultatem dabit* Halmius, *impudentia ad hunc defendendum facultatem dabit* Muellerus. — 19. *e vadis* ed. Rom. Σ, *evades* P^1, *evadens* $P^2\pi$, *e vado* $Sb^2\psi^2$. — 20. *videtur*] *videtur esse* ΣB.

sumpsit, ut dicitis, quod L. Luccei servis daret, per quos Alexandrinus Dio, qui tum apud Lucceium habitabat, necaretur. Magnum crimen vel in legatis insidiandis vel in servis ad hospitem domini necandum sollicitandis, plenum sceleris consilium, plenum auda-
52 ciae! Quo quidem in crimine primum illud requiram, dixeritne Clodiae, quam ad rem aurum sumeret, an non dixerit. Si non dixit, cur dedit? Si dixit, eodem se [conscientiae] scelere devinxit. Tune aurum ex armario tuo promere ausa es, tune Venerem illam tuam spoliare ornamentis, spoliatricem ceterorum, cum scires, quantum ad facinus aurum hoc quaereretur, [ad necem scilicet legati,] ad L. Luccei, sanctissimi hominis atque integerrimi, labem sceleris sempiternam? Huic facinori tanto tua mens liberalis conscia, tua domus popularis ministra, tua denique hospitalis illa Venus adiutrix
53 esse non debuit. Vidit hoc Balbus; celatam esse Clodiam dixit, atque ita Caelium ad illam attulisse, se ad ornatum ludorum aurum quaerere. Si tam familiaris erat Clodiae, quam tu esse vis, cum de libidine eius tam multa dicis, dixit profecto, quo vellet aurum; si tam familiaris non erat, non dedit. Ita, si verum tibi Caelius dixit, o immoderata mulier, sciens tu aurum ad facinus dedisti; si non est ausus dicere, non dedisti.

XXII Quid ego nunc argumentis huic crimini, quae sunt innumerabilia, resistam? Possum dicere mores M. Caeli longissime a tanti sceleris atrocitate esse disiunctos; minime esse credendum homini tam ingenioso tamque prudenti non venisse in mentem rem tanti sceleris ignotis alienisque servis non esse credendam. Possum etiam illa et ceterorum patronorum et mea consuetudine ab accusatore perquirere,

---

1. *L.* P^{2}πbψ, om. ΣP^{1}. — 3. *insidiandis* ΣBS, *insidiantes (-is)* Pπbψ. — 5. *requiram*] *requiro* Σ. — 6. Post *Clodiae* usque ad *dixit* (v. 7) a P^{1} spatium vacuum relictum est unius versus et dimidii, quod P^{2} ita supplevit: *quam ad rem aurum tum iret an non dixerit. si non* (idem in π). — *ad*] *ob* Σbψ. — *sumeret* Σ, *tum sumeret* bψ, *tum iret* P^{2}π, *mutuum sumeret* Weiskius, *servis obiceret* Schoellius. — 7. [*conscientiae*] expunxit Schwartzius; Baehrensius: *dando* (pro: *eodem*) *se conscientiae scelere.* — 9. *ceterorum* Σψ^{1} Gulielmus, Madvigius; *ceterum* cett. codd. — 10. [*ad necem scilicet legati*] inclusit Bakius, *scilicet* om. P. — 11. *L. Luccei* bG^{2}, *L. Lucullum* PEG^{1}. — 12. *sempiternam* Pantagathus, *sempiterni* Pπbψ. — 16. *erat*] *fuit* Σ. — 18. *dedit*] *petivit* Pluygersius, *dixit* Ravius. — 20. *ausus* ΣSHψ, *rursus* P. — 23. *atrocitate*] *immanitate* cod. Lambini. — *credendum*] *credibile* Vollgraffius. — 25. *credendam* G^{2}HS, *credendum* PEG^{1}ψ. — *illa*] *alia* Σ.

ubi sit congressus cum servis Luccei Caelius, qui ei fuerit aditus; si per se, qua temeritate; si per alium, per quem. Possum omnes latebras suspicionum peragrare dicendo; non causa, non locus, non facultas, non conscius, non perficiendi, non occultandi maleficii spes, non ratio ulla, non vestigium maximi facinoris reperietur. Sed haec, quae sunt oratoris propria, quae mihi non propter 54 ingenium meum, sed propter hanc exercitationem usumque dicendi fructum aliquem ferre potuissent, cum a me ipso elaborata proferri viderentur, brevitatis causa relinquo omnia. Habeo enim, iudices, quem vos socium vestrae religionis iurisque iurandi facile esse patiamini, L. Lucceium, sanctissimum hominem et gravissimum, testem, qui tantum facinus in famam atque fortunas suas neque non audisset illatum a Caelio neque neglexisset neque tulisset. An ille vir, illa humanitate praeditus, illis studiis, illis artibus atque doctrina, illius ipsius periculum, quem propter haec ipsa studia diligebat, neglegere potuisset? [et] quod facinus in alienum hominem intentum severe acciperet, id omisisset curare in hospite? quod per ignotos actum cum comperisset, doleret, id a suis [servis] temptatum [esse] neglegeret? quod in agris locisve publicis factum reprehenderet, id in urbe ac domi suae coeptum [esse] leniter ferret? quod in alicuius agrestis periculo non praetermitteret, id homo eruditus in insidiis doctissimi hominis dissimulandum putaret? Sed cur diutius vos, iudices, teneo? Ipsius iurati reli- 55

---

1. *ei fuerit*] *f. e.* Σ. — 3. *peragrare*] *penetrare* Baehrensius. — 8. *elaborata* Ant. Augustinus Σ, *laborata* cett. codd. — 11. *L.* om. Σ. — 12. *testem* expunxit Franckenus. — *in famam atque* Sbψ, *in famam atque in* Σ, *infamatq:* Pπ. — 13. *non* om. Σ. — *Caelio* P^{1}EH, *M. Caelio* P^{2}GΣ, verba *a C.* expunxit Damsteius. — *neque neglexisset neque tulisset*] *neque neglexisset auditum* Franckenus, *neque neglexisset*, *si quis attulisset* Baehrensius, *neque tulisset* Schwartzius omisso *neque neglexisset.* — 14. *illis artibus* TΣ Lambinus, *artibus* Pπbψ. — 16. [*et*] delevit Damsteius. — *in* THΣ, *per* G^2, om. cett. codd. — 17. *intentum* T, *inlatum* Pπbψ. — *acciperet* THS, *accipere* P. — *hospite* Pπbψ, *hospitem* Garatonius Σ. — 18. *cum comperisset* HS, *si comperisset* TΣ, *cumpetisset* PG^{1}E, *comperisset* G^{2}bψ. — *a suis servis* TΣ, *a suis* Pπbψ. — 19. [*esse*] circumclusit Pluygersius. — *neglegeret*] *neglegere* P. — *locisve*] *locisque* T. — 20. *reprehenderet*] *reprehenderet et* T. — *domi suae* TΣ, *suae domi* Pπbψ. — [*esse*] circumclusit Pluygersius. — 21. *ferret*] *ferre* P. — *praetermitteret* TEΣb^1, *prae//mitteret* PG^1, *permitteret* G^2, *postmitteret* Hb^{2}ψ. — 22. *in* THSbψ, om. PEG. — *doctissimi*] *nocentissimi* T.

gionem auctoritatemque percipite atque omnia diligenter testimonii verba cognoscite. Recita.

L. LUCCEI TESTIMONIUM.

Quid expectatis amplius? an aliquam vocem putatis ipsam pro se causam et veritatem posse mittere? Haec est innocentiae defensio, haec ipsius causae oratio, haec una vox veritatis. In crimine ipso nulla suspicio est, in re nihil est argumenti, in negotio, quod actum esse dicitur, nullum vestigium sermonis, loci, temporis; nemo testis, nemo conscius nominatur; totum crimen profertur ex inimica, ex infami, ex crudeli, ex facinerosa, ex libidinosa domo; domus autem illa, quae temptata esse scelere isto nefario dicitur, plena est integritatis, [dignitatis], officii, religionis; ex qua domo recitatur vobis iure iurando devincta auctoritas, ut res minime dubitanda in contentione ponatur, utrum temeraria, procax, irata mulier finxisse crimen, an gravis, sapiens, moderatusque vir irreligiose testimonium dixisse videatur.

XXIII Reliquum est igitur crimen de veneno; cuius ego neque principium
56 invenire neque evolvere exitum possum. Quae fuit enim causa, quam ob rem isti mulieri venenum dare vellet Caelius? Ne aurum redderet? Num petivit? Ne crimen haereret? Num quis obiecit? Num quis denique fecisset mentionem, si hic nullius nomen detulisset? Quin etiam L. Herennium dicere audistis verbo se molestum non futurum fuisse Caelio, nisi iterum eadem de re suo familiari absoluto nomen hic detulisset. Credibile est igitur tantum facinus ob nullam causam esse commissum? et vos non videtis

1. *percipite atque* om. T. — 3. *L. Luccei testimonium* T, *t. L. L.* Pπbψ. — 4. *aliquam*] *aliam* Ernestius, *aliam quam* Baehrensius. — 5. *posse*] *possem p* :: :: (*pro* P^2) *se* P, *posse pro se* H, *posse per se* Baehrensius. — 6. *una*] *viva* Pluygersius. — 7. *est, in re* T, *in rea* P^1, *et in rea* P^2, *et in rem* HS. — 11. *esse* T, om. Pπbψ. — 12. [*dignitatis*] TΣ, om. Pπbψ. — 16. *irreligiose* Franckenus, *religiose* codd. — 17. *neque principium* πSbψ, *nec p.* TΣ, *de p.* P^1, *idem p.* P^2. — 18. *evolvere* TSΣψ^2, *volvere* rell. codd. — 19. *dare vellet* T, *vellet dare* Pπbψ. — 20. *haereret*] *hereret* P, *haberet* T. — 21. *nullius* T, *nemini* Pπbψ. — 22. *L.* Lambinus Σ, om. cett. codd. — 23. *non futurum fuisse Caelio* P, *non futurum Caelio* T (cuius fragmentum in his verbis desinit; sequens folium fortasse a verbo *fuisse* incipiebat), *non fuisse futurum Caelio* H, *fuisse non futurum Caelio* S. — 25. *ob nullam*] *nullam ob* Σ.

fingi sceleris maximi crimen, ut causa alterius sceleris suscipiendi
fuisse videatur? Cui denique commisit, quo adiutore usus est, 57
quo socio, quo conscio, cui tantum facinus, cui se, cui salutem
suam credidit? Servisne mulieris? Sic enim obiectum est. Et
erat tam demens hic, cui vos ingenium certe tribuitis, etiamsi
cetera inimica oratione detrahitis, ut omnis suas fortunas alienis
servis committeret? At quibus servis? (refert enim magnopere id
ipsum) iisne, quos intellegebat non communi condicione servitutis
uti, sed licentius, liberius, familiarius cum domina vivere? Quis
enim hoc non videt, iudices, aut quis ignorat, in eiusmodi domo,
in qua mater familias meretricio more vivat, in qua nihil geratur,
quod foras proferendum sit, in qua lustra, libidines, luxuries,
omnia denique inaudita vitia ac flagitia versentur, hic servos non
esse servos, quibus omnia committantur, per quos <omnia> gerantur,
qui versentur isdem in voluptatibus, quibus occulta credantur,
ad quos aliquantum etiam ex cotidianis sumptibus ac luxurie
redundet? Id igitur Caelius non videbat? Si enim tam familiaris 58
erat mulieris, quam vos vultis, istos quoque servos familiares esse
dominae sciebat. Sin ei tanta consuetudo, quanta a vobis inducitur,
non erat, quae cum servis potuit familiaritas esse tanta? Ipsius XXIV
autem veneni quae ratio fingitur? ubi quaesitum est, quem ad
modum paratum, quo pacto, cui, quo in loco traditum? Habuisse
aiunt domi vimque eius esse expertum in servo quodam, ad eam
rem ipsam parato; cuius perceleri interitu esse ab hoc compro-
batum venenum. Pro di immortales! cur interdum in hominum 59

Testimonia veterum. § 59. Arusianus Messius p. 487 K: „*o dii immortales cur in maximis sceleribus aut conivetis interdum aut praesentis fraudis poenas in diem reservatis?*"

---

1. *causa alterius* Halmius, *causa* post *fuisse* (v. 2) Σ, ante *sceleris* ψ, om. rell. — 4. *obiectum est* ψ, *est obiectum* Σ, *obiectum* rell. codd. — 5. *hic*] *is* Σ. — *tribuitis*] *tribuistis* Σ. — 8. *iisne* Lambinus, *eiusne* Σ, *hisne* Pπbψ. — 9. *uti sed* ΣSb^{2}ψ^2, *ut* (*sed* b^1) *esset* rell. codd. — *familiarius*] *familiariusque* Σ. — 12. *lustra* Sbψ, *illustria* Pπ, *inusitatae* Σ. — 13. *versentur*] *vorsentur* P. — 14. *quibus omnia committantur*, mox *qui versentur isdem in voluptatibus* (v. 15) exemit Schoellius. — ⟨*omnia*⟩ inseruit Lambinus. — 15. *in voluptatibus*] *voluptatibus* Σ. — 16. *ad* om. P. — 17. *tam* ΣSψ, *iam* PHb, om. rell. codd. — 18. *esse dominae*] *dominae esse* GΣ, *esse domina*//*esse* P. — 20. *servis*] *servis eius* Σ. — *esse tanta*] *tanta esse* HS. — 23. *ad eam rem* Madvigius Σ, *ad eadem rem* P^1, *ad rem* P^2 rell. codd. — 24. *esse*] *esset* HS.

sceleribus maximis aut conivetis aut praesentis fraudis poenas in diem reservatis? Vidi enim, vidi et illum hausi dolorem vel acerbissimum in vita, cum Q. Metellus abstraheretur e sinu gremioque patriae, cumque ille vir, qui se natum huic imperio putavit, tertio die post quam in curia, quam in rostris, quam in re publica floruisset, integerrima aetate, optimo habitu, maximis viribus, eriperetur indignissime bonis omnibus atque universae civitati. Quo quidem tempore ille moriens, cum iam ceteris ex partibus oppressa mens esset, extremum sensum ad memoriam rei publicae reservabat, cum me intuens flentem significabat interruptis atque morientibus vocibus, quanta impenderet procella mihi, quanta tempestas civitati, et cum parietem saepe feriens eum, qui cum Q. Catulo fuerat ei communis, crebro Catulum, saepe me, saepissime rem publicam nominabat, ut non tam se mori quam spoliari suo
60 praesidio cum patriam tum etiam me doleret. Quem quidem virum si nulla vis repentini sceleris sustulisset, quonam modo ille furenti fratri suo [patrueli] consularis restitisset, qui consul eum incipientem furere atque tonantem sua se manu interfecturum audiente senatu dixerit? Ex hac igitur domo progressa ista mulier de veneni celeritate dicere audebit? Nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eiciat, non parietes conscios, non noctem illam funestam ac luctuosam perhorrescet? Sed revertar ad crimen; etenim haec facta illius clarissimi ac fortissimi viri mentio et vocem meam fletu debilitavit et mentem dolore impedivit.

XXV 61 Sed tamen venenum unde fuerit, quem ad modum paratum sit,

Testimonia veterum. § 61. Cledonius p. 48 K.: „Tullius ait in Caeliana: *veneni pyxidem traditurum*, Graecum nomen Latina declinatione flexit."

---

1. *praesentis*] *praesentes* Wesenbergius. — 3. *e sinu gremioque*] *e sinu eremioquae* P^1, *e sinu e gremioque* P^2Sbψ, *sinu gremioque* Σ. — 11. *mihi* Or. ΣB, *ibi* PEG, *urbi* HSbψ. — 13. *Q.*] *quinto* P, *P.* Muellerus. — 14 *mori* P, *emori* πSbψ. — 16. *repentini sceleris*] *repentino scelere* Baehrensius. — *ille* om. Σ. — 17. [*patrueli*] delevit Orellius. — *consul eum* Vollgraffius, *consulem* codd., *consul* Manutius. — 18. *furere* circumclusit Karstenus. — *tonantem* Clarkius, *conantem* codd., *multa stulte conantem* Vollgraffius. — 19. *ista*] *illa* Σ. — 21. *eiciat* Muretus, *eieciat* Σ, *eliciat* (*-eat* P^1) Pπbψ. — *illam* ΣSbψ^2, *aliam* rell. codd. — 22. *revertar*] *revertor* Σ. — *etenim* Gruterus Σ, *set enim* P, *sed enim* πbψ, *sat enim* Schoellius. — 23. *facta*] *fati* Damsteius. — 25. *paratum sit*] *sit paratum* Σ.

non dicitur. Datum esse aiunt huic P. Licinio, pudenti adulescenti
et bono, Caeli familiari; constitutum factum esse cum servis, ut
venirent ad balneas Senias; eodem Licinium esse venturum atque
iis veneni pyxidem traditurum. Hic primum illud requiro, quid
attinuerit fieri in eum locum constitutum, cur illi servi non ad
Caelium domum venerint. Si manebat tanta illa consuetudo Caeli,
tanta familiaritas cum Clodia, quid suspicionis esset, si apud
Caelium mulieris servus visus esset? Sin autem iam suberat
simultas, extincta erat consuetudo, discidium extiterat, „hinc
illae lacrimae" nimirum, et haec causa est omnium horum
scelerum atque criminum. 'Immo', inquit, 'cum servi ad dominam 62
rem istam et maleficium Caeli detulissent, mulier ingeniosa prae-
cepit suis, omnia Caelio pollicerentur; sed ut venenum, cum a
Licinio traderetur, manifesto comprehendi posset, constitui locum
iussit [balneas Senias], ut eo mitteret amicos, qui delitiscerent, dein
repente, cum venisset Licinius venenumque traderet, prosilirent
hominemque comprehenderent." Quae quidem omnia, iudices, XXVI
perfacilem rationem habent reprehendendi. Cur enim potissimum
balneas publicas constituerat? in quibus non invenio quae latebra
togatis hominibus esse posset. Nam si essent in vestibulo balnearum,
non laterent; sin se in intimum conicere vellent, nec satis commode
calceati et vestiti id facere possent et fortasse non reciperentur,
nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris

Testimonia veterum. § 62. Quint. IX 4, 64: „Ciceronem carpant in his: *familiaris coeperat esse balneatori.*"

---

1. *huic* Madvigius Σ, *hoc* Pπbψ. — 2. *constitutum factum*] *constitutum* Naugerius, *constitutum pactum* Σ. — 5. *fieri*] *ferri* b^1 Clarkius. — *constitutum* expunxit Ernestius. — 6. *Caeli* inclusit Franckenus. — 7. *tanta familiaritas cum Clodia* PEG, *cum Clodia tantaque familiaritas* S. — *cum Clodia* inclusit Franckenus. — *esset*] *erat* Ernestius. — 8. *iam* Oetlingius ΣB, *iam iam* Pπbψ, *iam tum* Pluygersius. — 12. *rem istam*] *remittam* P^1, *rem totam* Σ. — *et maleficium Caeli* expunxit Oetlingius. — 13. *suis*] *his ut* Σ. — *sed ut* HSΣ, *sed* rell. codd. — 14. *locum* delevit Ernestius, retinens *balneas Senias*. — 15. *balneas Senias* exemit Vollgraffius. — *delitiscerent* PH^1, *delitescerent* H^2S. — *dein*] *deinde* Σ. — 16. *venenumque* Lambinus $ΣL^d$, *venenum* Pπbψ. — 19. *constituerat*] *constituebat* Σ. — 20. *posset*] *possit* Ernestius. — 21. *nec satis commode*] *quomodo* ΣB. — 22. *reciperentur* ΣSbψ, *reciperetur* Pπ. — 23. *permutatione*] *permustatione* PH, *pensitatione* Pantagathus.

63 facta erat balneatori. Atque equidem vehementer expectabam, quinam isti viri boni testes huius manifesto deprehensi veneni dicerentur; nulli enim sunt adhuc nominati. Sed non dubito, quin sint pergraves, qui primum sint talis feminae familiares, deinde eam provinciam susceperint, ut in balneas contruderentur, quod illa, nisi a viris honestissimis ac plenissimis dignitatis, quam velit sit potens, numquam impetravisset. Sed quid ego de dignitate istorum testium loquor? virtutem eorum diligentiamque cognoscite. 'In balneis delituerunt'. Testis egregios! 'Dein temere prosiluerunt'. Homines temperantes! Sic enim fingitis, cum Licinius venisset, pyxidem teneret in manu, conaretur tradere, nondum tradidisset, tum repente evolasse istos praeclaros testes sine nomine; Licinium autem, cum iam manum ad tradendam pyxidem porrexisset, retraxisse atque ex illo repentino hominum impetu se in fugam coniecisse. O magna vis veritatis, quae contra hominum ingenia, calliditatem, sollertiam contraque fictas omnium insidias facile se
XXVII per se ipsa defendat! Velut haec tota fabella veteris et plurimarum
64 fabularum poetriae quam est sine argumento, quam nullum invenire exitum potest! Quid enim? isti tot viri (nam necesse est fuisse non paucos, ut et comprehendi Licinius facile posset et res multorum oculis esset testatior) cur Licinium de manibus amiserunt? Qui minus enim Licinius comprehendi potuit, cum se retraxit, ne pyxidem traderet, quam si tradidisset? Erant enim illi positi, ut comprehenderent Licinium, ut manifesto Licinius teneretur, aut cum retineret venenum aut cum tradidisset. Hoc fuit totum consilium mulieris, haec istorum provincia, qui rogati sunt; quos

5. *contruderentur*] *conducerentur* Σ. — 10. *temperantes* P, *gravitati deditos* πSbψ, *temporis observantes* Franckenus, *imperantis gra⟨tiae et volun⟩tati deditos* Vollgraffius, *intemperantes* Damsteius. — *fingitis* Σ, *fing* ... P^1, *fingunt* rell. codd. — 14. *retraxisse*] *retraxisse se* Oetlingius. — *ex* Σ, om. Pπbψ. — *impetu*] *impetu impeditum* Vollgraffius, *impetu perterritum* Damsteius omisso *ex*. — 15. *magna vis*] *magnam vim* Σ. — *hominum* Ernestius, *omnium* codd. — 16. *sollertiam*] *solertiam* P. — 17. *ipsa* $P^1Σψ^2$, *ipsam* rell. codd. — *velut*] *ut* Σ, *verum* $b^1ψ^2$. — 18. *fabularum*] *fabellarum* Σ. — 19. *fuisse* post *paucos* Σ. — 20. *multorum oculis* exemit Vollgraffius. — 22. *enim* om. L^c Bakius. — *Licinius* delevit Karstenus. — *retraxit*] *retraxisset* L^b Bakius. — 23. *illi*] *illic* G^2 Ravius. — *ut comprehenderent Licinium* circumclusit Oetlingius. — 24. *Licinius* et *venenum* (v. 25) sedes inter se mutare iussit Baehrensius. — 26. *istorum*] *est horum* Σ.

quidem tu quam ob rem ‘temere prosiluisse’ dicas atque ante tempus, non reperio. Fuerant hoc rogati, fuerant ad hanc rem collocati, ut venenum, ut insidiae, facinus denique ipsum ut manifesto comprehenderetur. Potueruntne magis tempore prosilire, quam 65 cum Licinius venisset, cum in manu teneret veneni pyxidem? Quae cum iam erat tradita servis, <si> evasissent subito ex balneis mulieris amici Liciniumque comprehendissent, imploraret hominum fidem atque a se illam pyxidem traditam pernegaret. Quem quo modo illi reprehenderent? vidisse se dicerent? Primum ad se revocarent maximi facinoris crimen; deinde id se vidisse dicerent, quod, quo loco collocati fuerant, non potuissent videre. Tempore igitur ipso se ostenderunt, cum Licinius venisset, pyxidem expediret, manum porrigeret, venenum traderet. Mimi ergo est iam exitus, [non fabulae;] in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabilla concrepant, aulaeum tollitur. Quaero XXVIII enim, cur Licinium titubantem, haesitantem, cedentem, fugere 66 conantem mulieraria manus ista de manibus amiserit; cur non comprehenderint, cur non ipsius confessione, multorum oculis, facinoris denique voce tanti sceleris crimen expresserint. An timebant, ne tot unum, valentes imbecillum, alacres perterritum superare non possent?

Nullum argumentum in re, nulla suspicio in causa, nullus exitus criminis reperietur. Itaque haec causa ab argumentis, a coniectura,

---

1. *atque ante tempus* delevit Oetlingius. — 2. *fuerant . . . . fuerant*] *fuerunt . . . . fuerunt* S, Vollgraffius. — *hoc* PH, *ad hoc* Lambinus Σ, *enim* E, *autem* G. — 4. *magis tempore* P^{1}ΣB, *meliori tempore* P^{2}πbψ^1, *meliori magis tempore* ψ^2. — 6. *cum* Ernestius, *si* codd. — ⟨*si*⟩ inseruit Ernestius; *quae si cum iam esset* (*erat* Bakius) *tradita servis, evasissent* F; *qua si iam tradita servis evasissent* Baehrensius, *quodsi iam ea tradita servis evasissent* Franckenus, *qui si iam ea tradita s. e.* Kayserus. — *evasissent*] *evolassent* Bakius. — *ex balneis mulieris amici* delevit Ernestius; *evasissent . . . comprehendissent* (v. 7) delevit Vollgraffius. — 7. *hominum* Angelius, *omnium* codd. — 8. *illam*] *ullam* Franckenus. — 9. *ad se revocarent* Pπbψ, *at revocarent* Σ, *ad se vocarent* Clarkius, *ad servos revocarent* Oetlingius, *ad testes r.* Bakius. — 13. *est iam exitus, non fabulae*] *est iam* Ascensius, *est etiam* Pπbψ, *iam* Σ; *non fabulae* delevi; *est ei iam exitus fabulae* Baehrensius. — 15. *deinde*] *dein* Σ. — *scabilla* P, *scabella* HS. — 17. *manus ista*] *i. m.* La. — *amiserit* S La., *miserit* P, *emiserit* Σπbψ. — *cur non comprehenderint* Σπbψ, om. P. — 22. *in causa* expunxit Vollgraffius. — 23. *reperietur*] *reperitur* GΣ Ernestius.

ab iis signis, quibus veritas illustrari solet, ad testis tota traducta est. Quos quidem ego, iudices, [testis] non modo sine ullo timore,
67 sed etiam cum aliqua spe delectationis expecto. Praegestit animus iam videre primum lautos iuvenes, mulieris beatae ac nobilis familiares, deinde fortis viros, ab imperatrice in insidiis atque in praesidio balnearum collocatos; ex quibus requiram, quonam modo latuerint aut ubi; alveusne ille an equus Troianus fuerit, qui tot invictos viros muliebre bellum gerentes tulerit ac texerit. Illud vero respondere cogam, cur tot viri ac tales hunc et unum et tam imbecillum, quam videtis, non aut stantem comprehenderint aut fugientem consecuti sint; qui se numquam profecto, si in istum locum processerint, explicabunt. Quam volent in conviviis faceti, dicaces, non numquam etiam ad vinum diserti sint, alia fori vis est, alia triclinii; alia subselliorum ratio, alia lectorum; non idem iudicum commissatorumque conspectus; lux denique longe alia est solis et lychnorum. Quam ob rem excutiemus omnis istorum delicias, omnis ineptias, si prodierint. Sed me audiant, navent aliam operam, aliam ineant gratiam, in aliis se rebus ostentent; vigeant apud istam mulierem venustate, dominentur sumptibus, haereant, iaceant, deserviant; capiti vero innocentis fortunisque parcant.

XXIX At sunt servi illi de cognatorum sententia, nobilissimorum et
68 clarissimorum hominum, manu missi. Tandem aliquid invenimus, quod ista mulier de suorum propinquorum, fortissimorum virorum, sententia atque auctoritate fecisse dicatur. Sed scire cupio, quid

T e s t i m o n i a v e t e r u m. § 67. C. Chirius Fortunatianus (art. rhet. III § 6): „quid hic aliud observabimus? ut quae verba magis sonantia sunt, ea potius collocemus, quae Lucilius *εὔφωνα* appellat, id est quasi vocalia, ut pro Caelio: *aliud fori lumen est, aliud lychnorum*, cum potuisset etiam structius dicere: aliud lucernarum."

---

1. *iis*] *his* PH, *illis* Σ. — 2. *iudices, testis* PHS, *testis, iudices* TΣ, *testis* delevit Beierus. — 4. *iam videre primum*] *primum iam videre* ΣB. — 5. *in* post *atque* om. Σ. — 6. *collocatos* T, *locatos* PπSbψ. — *quonam modo* PπSbψ, *quem ad modum* T. — 7. *ille an equus Troianus*] *an* expunxit Franckenus, *illic ut equi Troiani* Bakius. — 8. *illud*] *ad illud* Oetlingius, Baehrensius. — 10. *quam*] *quem* ΣS. — *comprehenderint* πS, *comprenderint* P, *comprendiderint* T. — 12. *quam volent* Pπbψ, *quam volunt* Σ, *quamvis* T. — 15. *conspectus*] *consessus* cod. Ursini. — 16. *et* PπSb^1, *ac* T, *alia* Bb^{2}ψ. — 18. *aliam* ante *ineant* om. T. — *ostentent*] *ostendent* T^1, *ostendant* Σ. — 23. *de*] *e* Σ. — 24. *dicatur*] *videatur* G.

habeat argumenti ista manumissio; in qua aut crimen est Caelio quaesitum aut quaestio sublata aut multarum rerum consciis servis cum causa praemium persolutum. 'At propinquis placuit'. Cur non placeret, cum tu rem te ad eos non ab aliis tibi allatam, sed a te ipsa compertam deferre diceres? Hic etiam miramur, si illam 69
commenticiam pyxidem obscenissima sit fabula consecuta? Nihil est, quod in eiusmodi mulierem non cadere videatur. Audita et percelebrata sermonibus res est. Percipitis animis, iudices, iam dudum, quid velim vel potius quid nolim dicere. Quod etiamsi est factum, certe a Caelio non est (quid enim attinebat), sed enim ab aliquo adulescente fortasse non tam insulso quam non verecundo. Sin autem est fictum, non illud quidem modestum, sed tamen est non infacetum mendacium; quod profecto numquam hominum sermo atque opinio comprobasset, nisi omnia, quae cum turpitudine aliqua dicerentur, in istam quadrare apte viderentur.

Dicta est a me causa, iudices, et perorata. Iam intellegitis, 70
quantum iudicium sustineatis, quanta res sit commissa vobis. De vi quaeritis. Quae lex ad imperium, ad maiestatem, ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet, quam legem Q. Catulus armata dissensione civium rei publicae paene extremis temporibus tulit, quaeque lex sedata illa flamma consulatus mei fumantis reliquias coniurationis extinxit, hacine lege Caeli adulescentia non ad rei publicae poenas, sed ad mulieris libidinosae delicias deposcitur?

Testimonia veterum. § 69. Arusianus Messius p. 505 K.: „quadrat in illum. Cicero pro Caelio: *nisi omnia, quae cum turpitudine aliqua dicerentur, in istam quadrare apte viderentur.*"

---

2. *sublata* TΣb²ψ² Manutius, *sublevata* rell. codd. — 3. *propinquis*] *propinquis inquid* T. — 4. *tu rem te ad*] *tu* :: ::*rem te ab* P, *tu rem ad* HS, *rem tute ad* Σψ Clarkius. — 6. *sit*] *est* Halmius. — 7. *audita*] *audita et pervolgata* HSψ². — 10. *factum*] *facete dictum* Franckenus, *iactum* Baehrensius. — *Caelio*] *Caelio quidem* Σψ¹. — *non est*] *non est factum* Σψ¹b². — *sed enim* Baehrensius, *est enim* codd., *etenim* Franckenus. — 11. *adulescente fortasse* Franckenus Σ, *f. a.* Pπbψ. — *non verecundo*] *inverecundo* Σ. — 12. *autem*] *totum* Franckenus. — alterum *est* transposuit post *mendacium* Franckenus. — 16. *causa iudices*] *iudices causa* Σ. — 18. *ad statum* induxit Karstenus. — 22. *hacine* Muellerus, *hac enim* codd., *hac nunc* Halmius, *hac eadem* Karstenus. — 23. *libidinosae* LaΣ, *libidin* :: :: P¹, *libidines et* P²πbψ.

XXX Atque hoc etiam loco M. Camurti et C. Aeserni damnatio praedi-
71 catur. O stultitiamne dicam an impudentiam singularem! Audetisne, cum ab ea muliere veniatis, facere istorum hominum mentionem? audetisne excitare tanti flagitii memoriam, non extinctam illam quidem, sed repressam vetustate? Quo enim illi crimine peccatoque perierunt? Nempe, quod eiusdem mulieris dolorem et iniuriam Vettiano nefario stupro sunt persecuti. Ergo ut audiretur Vetti nomen in causa, ut illa vetus aeraria fabula referretur, idcirco M. Camurti et C. Aeserni est causa renovata? qui quamquam lege de vi certe non tenebantur, eo maleficio tamen erant implicati,
72 ut ex nullius legis laqueis emittendi viderentur. M. vero Caelius cur in hoc iudicium vocatur? cui neque proprium quaestionis crimen obicitur nec vero aliquod eiusmodi, quod sit a lege seiunctum, cum vestra severitate coniunctum; cuius prima aetas dedita disciplinae fuit iisque artibus, quibus instituimur ad hunc usum forensem, ad capessendam rem publicam, ad honorem, gloriam, dignitatem; iis autem fuit amicitiis maiorum natu, quorum <eum> imitari industriam continentiamque maxime velitis; iis aequalium studiis, ut eundem quem optimi ac nobilissimi petere cursum laudis
73 videretur. Cum autem paulum iam roboris accessisset aetati, in

Testimonia veterum. § 72. Anecdota Paris. ed. Eckstein (rhetor incertus) 13: „ἀνακεφαλαίωσις, Latine recapitulatio, ut Tullius in Caeliana facit in epilogis: *cuius prima aetas dedita disciplinis fuit hisque artibus, quibus instruimur ad hunc usum forensem.*"

---

1. *M.* om. Σ. — *Camurti*] *Camurii* Garatonius. — *C. Aeserni* Kayserus, *Caeserni* P, *Ceserni* cett. codd. — 2. *stultitiamne dicam*] *stultitiam! stultitiamne dicam* Naugerius Σ. — 4. *audetisne*] *audetis* Σ. — 7. *nefario* expunxit Schoellius. — *stupro sunt* Halmius, coniciens: *isto stupro sunt*; *sunt stupro sunt* P, *sunt stupro* Σπbψ. — 8. *aeraria* Garatonius Σ, *afraria* Pπbψ, *Afraniana* Lambinus. — *referretur* Σ, *refeciretur* P^1, *reficeretur* P^2EGS, *refricaretur* ed. Rom. — 9. *Camurti* om. P^1 in extremo versu. — *C. Aeserni*] *Caeserni* PA. — 10. *non*] *nomine* Baehrensius. — *eo maleficio tamen* AΣbψ, *et maleficio* Pπ. — 11. *emittendi* PπS, *eximendi* A. — 12. *proprium*] *proprium quidem* A, unde Halmius: *proprium quoddam.* — *quaestionis crimen*] *c. qu.* AΣ. — 13. *aliquod* P, *aliquid* A(?)EGS. — 14. *cum* AΣ, *et cum* P^2π (*cum .... coniunctum* om. P^1), *at cum* Ernestius. — 15. *dedita disciplinae* AΣ (*debita* Σ), *dedita disciplinis* P^2πbψ, *d. ad disciplinis* P^1. — *instituimur* Pπ, *instruimur* AΣbψ. — 17. *fuit* induxit Halmius. — ⟨*eum*⟩ inseruit Madvigius. — 18. *velitis*, *iis* Madvigius, *velit is* P, *vellet, iis* (*his*) Σbψ^2. — *aequalium studiis* Pπbψ, *studiis aequalium* AΣ.

Africam profectus est, Q. Pompeio pro consule contubernalis, castissimo viro atque omnis officii diligentissimo; in qua provincia cum res erant et possessiones paternae, tum etiam usus quidam provincialis, non sine causa a maioribus huic aetati tributus, <parabatur>. Decessit illinc Pompei iudicio probatissimus, ut ipsius testimonio cognoscetis. Voluit vetere instituto, eorum adulescentium exemplo, qui post in civitate summi viri et clarissimi cives extiterunt, industriam suam a populo Romano ex aliqua
illustri accusatione cognosci. Vellem alio potius eum cupiditas XXXI
gloriae detulisset, sed abiit huius tempus querelae. Accusavit 74
C. Antonium, collegam meum, cui misero praeclari in rem publicam beneficii memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficii cogitati. Postea nemini umquam concessit aequalium, plus ut in foro, plus ut in negotiis versaretur causisque amicorum, plus ut valeret inter suos gratia. Quae nisi vigilantes homines, nisi sobrii, nisi industrii consequi non possunt, omnia labore et diligentia est consecutus.
In hoc flexu quasi aetatis (nihil enim occultabo fretus humanitate 75
ac sapientia vestra) fama adulescentis paulum haesit ad metas notitia nova mulieris et infelici vicinitate et insolentia voluptatum, quae cum inclusae diutius et prima aetate compressae et constrictae fuerunt, subito se nonnumquam profundunt atque eiciunt universae. Qua ex vita vel dicam quo ex sermone (nequaquam enim tantum erat, quantum homines loquebantur) verum ex eo, quicquid erat, emersit totumque se erexit atque extulit, tantumque abest ab illius familiaritatis infamia, ut eiusdem nunc ab sese inimicitias odiumque
propulset. Atque ut iste interpositus sermo deliciarum desidiaeque 76

---

2. *viro* PπSbψ, *homini* AΣB. — 3. *erant*] *erat* AΣ. — 4. post *provincialis* addidit Vollgraffius: *acquiri poterat eo loco qui*, post *tributus*: *est*. Fortasse tantum ⟨*parabatur*⟩ intercidit (v. 5). Baehrensius post *tributus* inserit: *ad adquirendum, adquirebatur. Iam ubi* cett. — 5. *decessit* AΣ, *ut decessit* Bakius, *discessit* Pπbψ. — 6. *eorum*] *et eorum* Σ. — 7. *in* om. P¹. — *clarissimi*] *carissimi* P¹. — 10. *sed abiit huius tempus querelae*] *sedaret huius temporis querellam* Σ; *huius* PA, *hoc* GES; *querelae*] *quaerellae* PA. — 11. *C.* om. ΣB. — *praeclari*] *collati* Baehrensius. — 13. *umquam* A, om. Pπbψ, *cuiquam* Bakius. — 13/14. *ut . . . . ut* om. A. — 14. *negotiis*] *negotio* A. — 18. *paulum*] *paululum* ΣB. — 19. *nova* Pπbψ, *novae* Σ, unde Clarkius: *nova eius*. — *et* ante *infelici* om. A. — 21. *eiciunt*] *eiciuntur* Σ. — 22. *Qua ex vita*] *xubita* P (initio versus). — *sermone*] *errore* Baehrensius. — 24. *erexit* Karstenus, *eiecit* codd.

moreretur (fecit me mehercule invito et multum repugnante, sed tamen fecit), nomen amici mei de ambitu detulit; quem absolutum insequitur, revocat; nemini nostrum obtemperat, est violentior quam vellem. Sed ego non loquor de sapientia, quae non cadit in hanc aetatem; de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam; quae studia in his iam aetatibus nostris contractiora esse debent, in adulescentia vero tamquam in herbis significant, quae virtutis maturitas et quantae fruges industriae sint futurae. Etenim semper magno ingenio adulescentes refrenandi potius a gloria quam incitandi fuerunt; amputanda plura sunt illi aetati, si quidem efflorescit ingenii laudibus, quam
77 inserenda. Quare, si cui nimium efferbuisse videtur huius vel in suscipiendis vel in gerendis inimicitiis sive ferocitas <sive> pertinacia, si quem etiam minimorum horum aliquid offendit, si purpurae genus, si amicorum catervae, si splendor, si nitor, iam ista deferbuerint, iam aetas omnia, iam usus, iam dies mitigarit.

XXXII Conservate igitur rei publicae, iudices, civem bonarum artium, bonarum partium, bonorum virorum. Promitto hoc vobis et rei publicae spondeo, si modo nos ipsi rei publicae satis fecimus, numquam hunc a nostris rationibus seiunctum fore. Quod cum fretus nostra familiaritate promitto, tum quod durissimis se ipse
78 legibus iam obligavit. Non enim potest, qui hominem consularem, quod ab eo rem publicam violatam diceret, in iudicium vocarit, ipse esse in re publica civis turbulentus; non potest, qui ambitu ne absolutum quidem patiatur esse absolutum, ipse impune umquam

---

1. *me mehercule invito* Pπψ, *me i. meh.* Σ, *meh. i.* b, *meh. i. me* S. — *repugnante*] *r. me* Σ. — 8. *significant* ΣBSbψ, *significat* Pπ. — 11. *efflorescit* S, *etflorescit* ΣP^1, *florescit* P^2πbψ. — *laudibus*] *viribus* Baehrensius. — 12. *efferbuisse*] *efferuuisse* P^1, *efferuisse* P^2, *inferbuisse* S. — 13. *sive ferocitas ⟨sive⟩ pertinacia* Bakius, *vis ferocitas* Pπ, *vis ferocitas pertinacia* ΣSbψ^2, *suis ferocitas* Halmius cum Madvigio delens *vis.* — 14. *minimorum*] *minorum* Ernestius. — *aliquid*] *aliquod* Σ, *aliquem* S. — 16. *deferbuerint*] *deferuuerint* P, *deferuerint* EG. — *iam usus, iam* Ravius, *iam ista* P^2 (in rasura) S, *iam res iam* Σbψ Clarkius, *iam satietas* Baehrensius. — 18. *bonorum virorum*] *bonorum morum* Weiskius, *bonorum virorum ⟨studiosum⟩* Muellerus; expunxit *b. v.* Schoellius. — 19. *fecimus*] *fecerimus* Wesenbergius. — 21. *durissimis se*] *se d.* Σ. — 22. *iam* om. Σ. — 23. *quod*] *cum* Σ. — *violatam*] *v. esse* Lambinus Σ. — 24. *ipse esse* Pπ, *ipse* Σbψ. — *civis* Pπ, *civis si* Σ, *civis esse* bψ. — 25. *patiatur* Wesenbergius Σ, *patitur* Sbψ^2, *datur* P, *dat* $G^2\psi^1$. — *esse absolutum*] *a. e.* Σ.

esse largitor. Habet a M. Caelio res publica, iudices, duas accusationes vel obsides periculi vel pignora voluntatis. Quare oro obtestorque vos, iudices, ut, qua in civitate paucis his diebus Sex. Clodius absolutus est, quem vos per biennium aut ministrum seditionis aut ducem vidistis, qui aedis sacras, qui censum populi Romani, qui memoriam publicam suis manibus incendit, hominem sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum, qui Catuli monumentum afflixit, meam domum diruit, mei fratris incendit, qui in Palatio atque in urbis oculis servitia ad caedem et <ad> inflammandam urbem incitavit: in hac civitate ne patiamini illum absolutum muliebri gratia, M. Caelium libidini muliebri condonatum, ne eadem mulier cum suo coniuge et fratre <et> turpissimum latronem eripuisse et honestissimum adulescentem oppressisse videatur. Quod cum huius vobis adulescentiam **79**
proposueritis, constituitote ante oculos etiam huius miseri senectutem, qui hoc unico filio nititur, in huius spe requiescit, huius unius casum pertimescit; quem vos supplicem vestrae misericordiae, servum potestatis, abiectum non tam ad pedes quam ad mores sensusque vestros, vel recordatione parentum vestrorum vel liberorum iucunditatis sustentate, ut in alterius dolore vel pietati vel indulgentiae vestrae serviatis. Nolite, iudices, aut hunc iam natura ipsa occidentem velle maturius extingui vulnere vestro quam suo fato, aut hunc nunc primum florescentem firmata iam stirpe virtutis tamquam turbine aliquo aut subita tempestate pervertere. Conservate parenti filium, parentem filio, ne aut senectutem iam **80**

Testimonium veterum. § 80. Martianus Capella V § 505 (Eyssenhardt): „spe quoque animi peturbantur, cum benificia aut obsequia promittuntur, ut cum fidem Milonis Pompeio pollicetur et *Caelii in omni vita servitium obstrictum vobis ac liberis vestris habebitis.*"

---

4. *est* Baiterus Σ, *sit* cett. codd. — 5. *qui aedis sacras .... incendit* (v. 6) delevit Damsteius. — 6. *hominem .... inquinatum* (v. 8) Garatonius transposuit post *vidistis* (v. 5). — 7. *sine fortunis* delevit Karstenus; *vita*] *vitio* Karstenus. — 10. ⟨*ad*⟩ inseruit Bakius, *ad flammandam* ΣB, *inflammandam* Pπ. — *hac* Pπ, *ea* ΣBbψ. — 11. *muliebri*] *mulieris* Σ. — 12. *muliebri*] *mulieris* Σ. — *fratre* delevit Schoellius. — 13. ⟨*et*⟩ *turpissimum* Bakius, *si turpissimum* Σ, *turpissimum* Pπbψ. — 16. *unico*] *uno* Ernestius. — *requiescit*] *reviviscit* Baehrensius. — 17. *vos* om. Σ. — 18. *mores*] *amores* Baehrensius. — 20. *iucunditatis* Bootius, *iucunditate* codd. — *alterius*] *alterutrius* Garatonius. — 21/22. *natura ipsa*] *i. n.* Σ. — 22. *quam* ΣSbψ, *quamquam* Pπ. — 24. *aut subita tempestate* expunxit Oetlingius.

prope desperatam contempsisse aut adulescentiam plenam spei maximae non modo non allevasse, sed etiam perculisse atque afflixisse videamini. Quem si nobis, si suis, si rei publicae conservatis, addictum, deditum, obstrictum vobis ac liberis vestris habebitis omniumque huius nervorum ac laborum vos potissimum, iudices, fructus uberes diuturnosque capietis.

---

2. *adlevasse* Muellerus, *aluisse vos* $P^2\pi Sb\psi$, *al*:: ::P^1, *adiuvisse* Damsteius, *absolvisse* Schoellius, *abiecisse* (pro: *non aluisse*) Franckenus. — *sed*] *verum* Σ B. — *perculisse atque afflixisse*] *perfluxisse et perpulsisse* Σ B. — 3/4. *conservatis*] *conservaritis* Ernestius. — 4. *vestris*] *servis* B.

COMMENTARIUS AD CAELIANAM.

I. EXORDIUM I §§ 1—2 (prol. p. XXIV).

§ 1. **si quis, iudices, — liceat esse]** Longa periodus prooemiis causarum apta (Quint. IX 4, 127) orationis initium facit, cuius sententia haec est: „fortasse aliquis mirabitur, quod hoc iudicium diebus festis institutum sit, et reum summi facinoris argui putabit; nihilo tamen minus de tanto scelere non agitur." Quae sententia, cum inopinatum quod dicitur sive παράδοξον contineat, valde idonea est, quae animos iudicum attentos reddat. Simul rem, qua de agitur, orator diminuit, accusatorum causam ita comparatam esse affirmans, ut nullam spem vincendi habere possint, atque ita iudices commovet, ut et adversariorum causam suspectam habeant et ad Caeli defensionem audiendam bene se parent (Quint. IV 1, 39; IX 2, 39). — **miretur, quae sit tanta atrocitas huiusce causae]** „wat dit voor eene verschrikkelijke zaak is, zal hij met verwondering vragen"; causa *atrox* dicitur, quod scelera Caelio obiecta atrocia sunt, § 53: „mores M. Caeli a tanti *sceleris atrocitate* esse disiunctos." — **quod]** cum Ernestio exspectes *ut* consecutivum pro *quod* causali, sed *tanta atrocitas* absolute positum, et *quod diebus* cet. referendum est ad *miretur*. — **diebus festis]** sc. pridie Nonas Apriles sive die IV m. Aprilis, cf. prol. p. XXII. — **ludisque publicis]** sc. Megalensibus, qui scaenici erant, cf. Marquardt (Wissowa) SV III p. 501, prol. p. XXIII. — **omnibus forensibus negotiis intermissis]** ludis publicis feriae et iustitium indici solebant, cf. Mommsen SR. III 2, p. 1055; Marquardt (Wissowa) SV. III p. 293. — **unum hoc iudicium exerceatur]** sc. de vi, de qua sola, ut lege Lutatia statutum erat, *cotidie* quaeri licebat ceteris iudiciis propter ludos intermissis, cf. Mommsen SR. I p. 263. Similiter bello Marsico „exercebatur una lege iudicium Varia (sc. de iis qui huius belli auctores fuerant) ceteris propter bellum inter-

missis", Cic. Brut. § 304. — **esse legem]** sc. Lutatiam, de qua cf. prol. p. XXIII, quam Q. Lutatius Catulus tulerat, § 70. — **magistratibus]** quod P hoc vocabulum omisit, factum videtur e compendio scripturae neglecto. Ceterorum codd. lectionem commendat Cic. de dom. § 89: „an tu populum Romanum esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur, qui impelluntur, ut *vim afferant magistratibus*, ut *obsideant senatum?*" — **rem publicam oppugnarint]** *rem publicam oppugnare* is dicitur, qui eam petit vel exercitu suo vel manu gladiatoria, cf. Cic. Phil. X § 12: „omne enim et exercitus et imperii ius amittit is, qui eo imperio et exercitu *rem publicam oppugnat.*" — **crimen quod versetur]** *quod* relativum est et *versetur* coniunctivus per attractionem. — **nullum facinus . . . . . vim]** haec criminationis pars (de vi) iam a Caelio et Crasso refutata, partim a Cicerone § 23 redarguitur, partim § 51 sqq. tractatur, cf. prol. p. XX. — **illustri ingenio industria gratia]** Caelius non modo studio et labore, sed etiam naturali quodam bono egregius orator e Ciceronis ludo evaserat, deinde Antonio accusando industriam praestiterat, nec minus eloquentia, moribus, forma populi gratiam adeptus erat, cf. prol. p. VI, XVII. — **ab eius filio . . . . vocarit]** Caeli accusator L. Sempronius Atratinus, adulescens septendecim annorum, erat, cuius patrem Caelius bis de ambitu accusaverat („*et vocet et vocarit*"), cf. prol. p. VIII. — **oppugnari . . . . opibus meretriciis]** acerbe haec dicta sunt, quasi Clodia opes, quas corpore venali comparasset, in Caeli perniciem converteret testibus corrumpendis (§ 21); Clodia tamen, etsi vitam meretriciam agebat, minime quaestus erat cupida, sed saepius Caelium pecunia sua adiuverat (Boissier, Cicéron et ses amis, p. 174), § 38: „quae etiam aleret adulescentes et parsimoniam patrum suis sumptibus sustentaret." Eadem oppositio inter verba *accusandi* et *oppugnandi* („bestrijden, tegenwerken, afbreuk doen") invenitur § 20: „non enim ab isdem *accusatur* M. Caelius, a quibus *oppugnatur*; palam in eum tela iaciuntur, clam (sc. a Clodia) subministrantur." — **[Atratini] illius]** interpolatio antiquissima, iure a Mureto deleta, neque coniecturae Franckeni et Clarkii (vide ann. crit.) in locum quadrant. Nomen enim proprium alienum est ab hac sententia, cum accusator paulo post (§ 2) demum nomine primum appelletur atque ita ut huius nominis non ante possit mentio facta esse („Atratino, humanissimo atque optimo adulescenti"). Praeterea concinnitati enuntiationis nocetur, si duo vocabula

Atratini illius opponuntur uni *muliebrem* (sc. Clodiae). — **laboriosos]** multis negotiis exercitos et vexatos, cf. Tusc. II § 35: „itaque industrios homines illi (Graeci) studiosos vel potius amantes doloris (*φιλοπόνους*) appellant, nos commodius *laboriosos*." — **quibus otiosis... otio liceat esse]** ludit, ut etiam alibi, in ambigua vi adiectivi *otiosus*, quod et vacuum a muneribus publicis et a labore feriatum significat, cf. de off. III § 1: „numquam se minus *otiosum* esse, quam cum *otiosus* (= in otio) esset"; p. Planc. 66: „cui fuerit ne *otium* quidem umquam *otiosum*".

§ 2. **attendere diligenter, existimare vere]** asyndeton in gradatione, cf. Kuehner L. G. II p. 749 I a. Iniuria Franckenus *attendere diligenter* „minus apta" existimat, „cum non statim ad expositionem transeatur". Non enim illa in universum dicta sunt, ut plerumque initio orationis, ad iudicum animos erigendos, sed addita, ne iudices fugiat, id quod statim sequitur, Atratinum numquam accusaturum fuisse, nisi a Clodia instigatus esset. — **descensurum . . . ad hanc accusationem]** invitum vel prope contra propriam dignitatem accusatoris partes suscepturum. In hac formula *ad accusandum descendere* semper levis inest huius studii accusandi reprehensio neque confundenda est cum illa *consul descendit in forum*; cf. div. in Q. Caec. § 1: „me . . . subito nunc mutata voluntate *ad accusandum descendere*"; ad Att. VIII 1, 3: „si invitus *in eam causam descendo*." — **cum descendisset]** Baehrensius: *qui descendisset*, sed lectio tradita recte se habet, cum ex antecedente *quisquam* sumendum sit *aliquis* ad verbum *descendisset*. — **habiturum spei fuisse, nisi . . . . niteretur]** Atratinus nullam vincendi spem *haberet* — nam *habiturum fuisse* in oratione obliqua pro imperfecto orationis rectae h. l. est (cf. Riemann, Synt. Lat. p. 424, ann. 1) —, nisi niteretur . . . exspectamus: auxilio Clodiae, sed pro eo dixit Cicero: *libidine et odio alicuius*. Nempe libido, qua Clodia Caelium appetens flagrabat („hartstocht"), in odium acerbum mutata est, cum adulescens eam contemnere coepisset; quo odio Atratinus in accusando adiutus est, semper mulieris impotentia stimulatus. Porro animadvertendum in clausula huius ambitus adhibitum esse dichoreum *nītĕrētŭr*, quem laudat Quintilianus (IX 4, 105), ipse Cicero non vituperat, nisi si saepius iteratur, ut apud Asianos (Orat. §§ 212—213) cf. ann. ad § 33. — **Atratino]** de eo Hieronymus ad Eus. chron. (733/21): „Atratinus, qui XVII natus annos Caelium accusa-

verat (natus igitur est a⁰ 73) clarus inter oratores habetur. Ad extremum morborum taedio in balneo voluntate exanimatus heredem reliquit Augustum." Cicero non modo eum appellat *necessarium* suum, sed etiam laudat, quod *ornate politeque dixerit* (§ 8), eumque *disertum adulescentem* (§ 15) vocat [1]. Num forte discipulus Tulli fuerit, non constat. Etiam postea (a⁰ 40) in senatu eloquentia excellebat et una cum Messalla commemoratur (Ioseph. b. Iud I 14, 4). Consul erat a⁰ 34, a. d. IV Id. Oct. a⁰ 21 proconsul ex Africa triumphavit (CIL I p. 461). — **ignosco]** Quint. XI 1, 68: „aliquando etiam inferioribus praecipueque adulescentulis parcere aut mederi decet. Utitur hac moderatione Cicero pro Caelio contra Atratinum, ut eum non inimice corripere, sed paene patrie monere videatur. Nam et nobilis et iuvenis et non iniusto dolore venerat ad accusandum." — **vel pietatis vel necessitatis vel aetatis]** sive patrem ulcisci voluit, sive a Clodia coactus est Caelium accusare, sive laudem et gratiam se pariturum accusando speravit.

II. PRAEMUNITIO II—XII §§ 3—30ᵃ (prol. p. XXV).

§ 3. **deformandi huius causa]** *deformare* hoc obtrectandi significatu etiam occurrit de har. resp. § 51: „in qua (contione) Pompeium ornat an potius *deformat?*" Itaque nihil mutandum est, sed necesse putavi cum Bakio post *causa* coniunctionem inserere. — **detrahendae spoliandaeque dignitatis]** imago, ut consentaneum est, e re bellica sumpta, cf. Sest. § 54: „spirante etiam re publica (consules) ad eius *spolia detrahenda* advolaverunt." Proprie *Caelius* spoliatur *dignitate* vel *dignitas ei* detrahitur, sed hae duae constructiones h. l. in unam coaluerunt. Eadem cum vi („aan iets tornen") verbum *spoliandi* usurpatur § 42: „parcat iuventus pudicitiae suae, ne *spoliet alienam*". — **obiectus est pater varie, quod cet.]** hic usus peculiaris verbi *obiciendi*, ut per *πρόληψιν* quandam vocabulum aliquod ex sententia secundaria in primariam assumatur (nam proprie dicendum erat: „obiectum ei est, quod pater" cet.), etiam alibi invenitur p. Mur. § 11: „intellego, iudices, tres totius accusationis partis fuisse .... *Obiecta est* enim *Asia*" cet. — **parum splendidus]** *splendidus* est vox propria ordinis equestris

[1] Teuffel GRL § 209, 10.

(Verr. V § 161, de n. d. III § 74), *amplissimus* senatorii (de dom. § 55). Parum *splendidus* Caelius pater dicitur, quod non vivebat, ut equitem Romanum decebat, nimisque parcus erat (§§ 36, 38). — **parum pie tractatus**] a patre semigraverat, § 18. — **diceretur**] ex noto usu coniunctivus pro indicativo; dicendum enim erat: quod... parum splendidus *esset* aut parum pie *tractatus esset* a filio (*ut dicebatur*, sed hoc abundat post verbum *obiciendi* neque Belgice vertitur), cf. Kühner L. G. II p. 790, 5. — **M. Caelius**] de patre nihil constat nisi quod ex municipio quodam (§ 5) Romam migraverat, ubi melius filium educare posset. Habebat possessiones in Africa (§ 73). Ex proximis verbis „minus in foro nobiscumque versatur" efficio eum causidicum fuisse. — **notis**] vim activam habet: iis qui eum noverunt. Eodem modo Verr. I § 19: „putabam non solum *notis*, sed etiam *ignotis* probatam meam fidem esse et diligentiam"; ad fam. V 12 § 7: „atque illi artifices corporis simulacra *ignotis* nota faciebant"; Nep. Ages. 8, 1: „atque *ignoti*, faciem eius cum intuerentur, contemnebant"; B. Hisp. III § 4: „quibus praefecit hominem eius provinciae *notum* (= gnarum) et non parum scientem". Etiam saepius *gnarus* et *ignarus*, quae proprie significatum activum habent, passive abhibentur, praesertim a Sallustio et Tacito. — **et sine mea oratione et tacitus**] postrema verba *et tacitus* non supervacanea sunt (Vollgraff): neque enim Cicero pro dignitate Caeli multa verba faciet, neque ille ipse de sua fortuna testis profitebitur. — **nobiscumque**] Madvigius Op. Ac. I p. 390: „et aptissime non solum *forum* nominat, in quo abundabat illud *nobiscum*, sed usum quoque privatum significat, quem cur Orellius neutiquam intellegi dicat, non video." — **ii sic habeant .... habitam esse summam**] *habere* et *sic habere* = scire (praecipue in imperativo *habeto*) cum acc. c. inf. iunguntur: n. d. III § 86, Lael. § 91, Sall. Iug. 114 § 1 (Kühner L. G. II p. 509, 152). Neque videtur aures Romanorum offendisse idem verbum *habendi* bis positum idque sensu vario; cf. § 18 *domus .... domus*, § 19 *queri quam agere maluerit .... queri maluerit*, § 28 *ut dicitur ... ut dicitur*, § 41 *coniungendam .... coniungerent*, § 42 *ratio .... rationem*, § 47 *in iudicium vocavisset .... in iudicium vocaret*, § 53 *credendum .... credendam*, ad fam. V 12, 5: *retinetur .... retinet*; Liv. 31, 29 § 1: „huic ut *occurrerent .... occurrerunt*"; 31, 34 § 4: *vidissent .... viderunt*; Caes. b. G. V 28, 4: *sustineri .... sustinuerint*. Immerito

Schoellius delevit *summam*, quod omitti non potest, quoniam Latine non dicitur: *dignitas in M. Caelio habita est* pro *inventa est, fuit*, sed rectissime: *dignitas in M. Caelio habita est summa.* — **quaecumque . . . possit, quae certe potest]** coniunctivus in oratione obliqua, deinde indicativus (*potest*), ubi Cicero suam sententiam in media verba aliena inserit. — **hodieque haberi]** optimo iure Madvigius l.l. eos, qui hunc locum mutare student, monet neque Ciceronem neque Livium neque ullum antiquiorem *hodieque* usum esse pro *hodie quoque* (cf. Antibarbarum I⁶ p. 597), quare iam propter Latinitatem improbandae sunt coniecturae quales *atque hodieque.*

§ 4. **equitis Romani . . . . esse filium]** non maledixerunt accusatores, ut opinor, toti ordini equestri, quo iram iudicum stulte in se vertissent, sed fortasse Caelium patre *obscuro* esse natum obiecerunt, unde Cicero iniuriam toti ordini illatam esse finxit. Tota sententia exemplum est figurae, quae „apodioxis" sive „apoplanesis" dicitur, reiectio vel reprobatio quarundam rerum quasi in quaestionem non venire dignarum" cet. Iul. Rufin. de fig. sent. XII. — **neque his iudicantibus]** Pompeio et Crasso coss. (a⁰ 70) L. Aurelius Cotta praetor legem (Aureliam) iudiciariam tulit, ut iudicia senatoribus *equitibus* tribunisque aerariis communia essent. *His* positum est *δεικτικῶς*, cum orator ad iudices ordinis equestris se vertat. — **nobis]** Aur. Vict. de vir. ill. LXXXI, 1: „M. Tullius Cicero, genere Arpinas, *patre equite Romano* natus, genus a Tullo Attio rege (cf. Plut. Cic. 1; Sil. It. VIII 406 sqq.) duxit." — **ista** delevi cum Schoellio[1]), quia non potest ferri iuxta pronomen primae personae *nostra* (quod alii contra loci sententiam mutaverunt in *vestra*, cf. tamen „quid *nos* opinemur"), neque vis verbi *esse*, ut contextus docet, pronomen demonstrativum patitur: „denn *iudicium certe parentis* (*est*) kann doch nur heissen ‘das Urtheil darüber steht dem Vater zu’, während *est* bei *ista quidem nostra existimatio* im anderen Sinne gesagt wäre; das wäre stilistisch und logisch schief" (Schöll). — **nostra existimatio, sed iudicium certe parentis]** *existimatio* est opinatio et coniectura, *iudicium* vero sententia, quae re cognita pronuntiatur; *certe* non restringendi habet vim, ut vulgo, sed affirmandi = ut mihi persuasum est, cf. Kühner L.G. II p. 601. — **iuratis]** sc.

---

[1]) Rhein. Mus. 35, 543—563 „die Interpolation der Ciceronischen Caeliana", p. 555.

testibus, cf. Verr. V § 11: „id quod ex multis *iuratis* audistis". — **matris . . . patris**] et mater et pater in iudicio affuisse videtur grandis natu, cf. Wieschhölter de M. Caelio p. 3. — **squalor**] saepissime dicitur de veste lugubri („rouwgewaad") et hoc sensu adhibitum cum vocabulis *maeror*, *luctus*, *sordes* iungitur, cf. ad. fam. XIV 3, 2; ad Att. III 10, 2; p. Sest. § 145. — **maestitia**] nihil h. l. differt ab antecedente *maeror*, etsi proprie magis perpetuam animi tristis condicionem indicat, *maeror* apertum aliquod luctus signum denotat, cf. Tegge, Lat. Syn. p. 75. — **quam cernitis**] delet Pluygersius, quia nihil aliud sit nisi interpretamentum vocis *praesens*, sed adiectivum significat: huius temporis momenti, cf. Lucr. VI 1276: „nec iam religio divom nec numina magni pendebantur enim, *praesens dolor* exsuperabat."

§ 5. **municipibus . . . . non probatum suis**] *probatum alicui esse* non modo de rebus, sed etiam de personis dicitur („in den smaak vallen, behagen, aangenaam zijn"), cf. p. Balb. § 46 (active): „possumusne igitur tibi *probare* auctorem C. Marium („ingang doen vinden")?"; de fin. II § 80 (reflexive): „(Epicurus) multis se *probavit*"; p. Planc. § 27: „cui cum fuerit *probatissimus* hodieque sit"; Nep. Them. I § 2: „qui cum minus esset *probatus* parentibus". — **[praetoriani]** expunxi, quia post antecedens illud *municipibus* h. l. nullum desideratur nomen proprium (cf. prol. p. III). Sed fieri potest, ut lectio depravata *praetoriani* nata sit ex emblemate quodam, quod quale fuerit, non constat, cf. ann. crit. et prol. p. IV. — **absenti M. Caelio**] *absenti* non eiciendum est propter verba opposita *nemini praesenti.* Abesse malim proximum *absentem* post *quem et.* — **in amplissimum ordinem cooptarunt**] non ad verbum haec accipienda sunt, nam c o o p t a t i o, si forte olim in Italiae municipiis fuit, hoc saltem tempore iam abolita erat et decuriones solebant a viris quinquennalibus in senatum legi, Marquardt SV. I p. 184 ann. 6 (qui de lectionis *Puteolani* veritate dubitare non videtur), Mommsen SR II. p. 733 ann. 3. Idem usus verbi *cooptandi* pro l e g e n d o vel s u b l e g e n d o in lege Iulia municipali p. 86. 106 invenitur [1]). — **ea detulerunt**] honor, quem a multis frustra petitum municipes Caelio detulerunt, videtur fuisse

[1]) Bruns, Fontes iur. Rom. p. 100, 101.

hospitium vel potius patrocinium; inter patronos sunt senatores et equites Romani, qui in albo Canusino (a^{0} 223 p. Chr. n.) honoris causa primum locum obtinent, Marquardt SV. I p. 187. — **cum legatione**] cum mandatis, cf. Phil. XI § 2: „qui in *legatione* mortem obierunt." — **cum gravissima atque ornatissima laudatione**] gravis est laudatio propter argumentum animos iudicum movens, ornata ob verborum cultum („met eene aanbeveling, die indruk maakte en in vleiende bewoordingen gesteld was.") — **[si nituntur iudicio suorum]** cum Schoellio haec verba inclusi, primum quod reflexivum *suorum* (= patris et municipum) non habeat, ad quod referatur, deinde quia tota sententia condicionalis, ita in universum dicta, cum prioribus *defensionis meae* pugnet, tum quod eadem res mox multo melius dicatur per *neque . . . posset, si . . . displiceret.* — **commendata**] cara, dilecta, cf. ad fam. XIII 49: „ut nemini se intellegat *commendatiorem* umquam fuisse.". — **municipio tam illustri ac tam gravi**] Tusculo, ut Baiterus coniecit, cf. prol. p. IV.

§ 6. **ut ad me revertar**] eicit Schoellius, quod verba non possint referri ad § 4 *neque defendentibus nobis*, sed omni sensu careant. Videntur enim interpolata esse ad *equidem* explicandum. Quod Baehrensius proposuit *ut ad me devertar*, optimam praebet sententiam, et sane recepissem, si hic usus verbi *devertendi* mihi ex aliis exemplis (ad fam. XII 25, 4; Liv. 35, 40, 1) satis probatus esset. — **ab his fontibus**] a commendatione parentis et municipum. — **profluxi**] de personis etiam usus est Tac. ann. XI 26: „iam Messalina facilitate adulteriorum ad incognitas libidines *profluebat.*" — **vitaeque ratio**] verba non dubia, ut Franckenus putabat, sed iuxta *forensis labor* modum indicant, quo Cicero vitam suam adulescens in re publica instituit („openbare levenswandel"). — **dimanavit — latius**] modeste de se loquitur orator: „door mijn staatkundigen arbeid en mijn levenswandel oogstte ik nog al bijval bij het publiek." Permanet in eadem imagine: *ab his fontibus profluxi, dimanavit.* Omissa omni figura verba hoc volunt: cum patri et municipibus meis carus essem, etiam Romae acceptus fiebam civibus, postquam eo veni. Mox fama mea paulo latius se extendens propter laborem meum et vitae rationem ad omnes penetravit. — **commendatione . . . meorum**] ablativus non est comparationis, sed instrumentalis: quia omnes me meis carum esse videbant. — **criminibus**] = criminationibus, ut plerumque apud Ciceronem. — **vocibus**] sc. inanibus

et mendacibus, conviciis. Atratinus teste Chirio Fortunatiano Caelium vocarat „*pulchellum Iasonem*", cf. ann. crit. ad § 18. — **celebratum**] agitatum, tractatum; saepius dicitur aliquid *celebrari sermonibus*, de dom. § 140. — **eum paeniteat**] eum pigeat, non contentus sit („het hem spijt"). Iniuria obtrectatores Ciceronis (Gell. XVII 1, 1—11) talem usum verbi *paenitendi* damnabant, cf. Caes. b. c. II 32, 12 (Kraner—Meusel): „an *paenitet* vos, quod salvum atque incolumem excercitum nulla omnino nave desiderata traduxerim?" — **non deformem**] cf. § 36: „candor huius (Caelii) te (Clodiam) et proceritas, vultus oculique pepulerunt." — **pervulgata in omnes**] erant enim eiusmodi rumores de adulescentibus, qui, ut Caelius, domum Catilinae (§ 10) frequentabant, cf. Sall. Cat. XIV, 7, et in quemvis formosum facile suspicio impudicitiae cadebat: „rara est adeo concordia formae atque pudicitiae", Iuv. X 297 (Friedländer). De Venere nefanda disputat Marquardt Prl. VII 1 p. 80. — **forma et species fuit liberalis**] Paul. Diac. p. 121 M. (p. 87 Th. d. P.): „*liberales* dicuntur non solum benigni, sed etiam ingenuae formae homines"; Plaut. Mil. 60 (Lorenz): „ergo mecastor pulcer est, inquit mihi, et *liberalis.*" Et ita saepius apud comicos de facie, quae hominem liberum decet, pulchra, formosa est („knap, fatsoenlijk, gedistingeerd"). — **accusatio crimen desiderat**] si accusare (non male dicere) vis, opus est criminatione: „voor eene aanklacht is eene akte van beschuldiging een vereischte"; cf. p. Font. § 37; p. Cluent. § 59. — **rem ut definiat, nomine notet . . . confirmet**] significantur eae orationis partes, quae narratio, causae constitutio, probatio, refutatio vocantur. „Describere quid factum sit (*rem definire*) et nomine legitimo rem notare pertinent ambo ad constitutionem, quae dicitur, definitivam, sed diversa inter se sunt, nec *rem definire* necessario est *verbo notare*, sed quid factum sit constituere et omissis fortuitis naturam facti constituere", cf. de orat. II § 104; de inv. I §§ 11—12 (Francken, Mnem. 8, 206). — **maledictio** („laster, aantijging") cet. proprie a iudicio aliena est, nam argumentis non pugnat, solum iniuriam alicui afferre studet. Si tamen verbis utitur facetis, potest urbana nominari, etsi alterum *contumelia* afficit, quod nobis mirum videtur, sed. cf. Phil. 14, 7: „quae sunt urbanarum litium *maledicta.*" — **petulantius** („te brutaal, overmoedig") cf. ad Att. II 19, 3: „Diphilus tragoedus in nostrum Pompeium *petulanter* invectus est." — **urbanitas**

(„geestigheid, bon mot") cf. de orat. I § 159: „libandus etiam ex omni genere *urbanitatis* facetiarum quidam lepos, quo tamquam sale perspargatur omnis oratio."

§ 7. **Atratino**] qui tunc annum duodevicesimum agebat, cf. ad § 2. — **neque aetas illa postulabat**] verbum *postulandi*, quod in hunc locum non quadrare videtur — exspectatur enim, id quod mox sequitur, *patiebatur* — ita tantum defendi potest, ut simul oppositio audiatur: non illa aetas, sed aetas corroborata, ut male dicendi partes sibi mandarentur, *flagitabat*. — **hunc [male dicendi] locum**: iure verba cancellata delevit Schoellius[1]) cum propter consequens illud *istam male dicendi licentiam*, tum quia *locus* ille, si ad accusatorem spectes, nominandus erat *de pudicitia* (§ 6). — **agam lenius**] cf. ad § 2 *ignosco*. — **beneficium**] quale id beneficium fuerit, utrum Cicero Atratinum patrem defenderit, an filio magister eloquentiae principia tradiderit, non constat. — **tueri**] cf. Plaut. Trin. 320: „benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant."

§ 8. **[qualis es, talem te existument]** si verba genuina essent, post *admonitum volo* desideraretur *ut cures* vel tale quid, sed interpolata sunt ad ea, quae multo venustius dicta sunt (*ut quantum . . . seiungas*), interpretanda. — **falso responsa sint**] quamvis falsa, in responso tibi obiecta sint. — **aetati**] post hoc vocabulum Σ exhibet: *atque isti dignitati*, quae lectio etsi ab Agroecio[2]) codicibusque deterioribus confirmatur, tamen in P acquiescendum est, ubi haec verba, quae in Atratinum adulescentulum male cadunt, omissa sunt. — **etiam [si] sine ulla suspicione [at non sine argumento] male dicere**: verba circumclusa cum Schoellio delevi. Qui ea retinent, aut *argumentum* levius esse putant quam *suspicionem* et ita significationi vocabulorum (§ 22) vim afferunt, aut haec duo vocabula sedem inter se mutare iubent, aut *non* transponere volunt. Sed iuxta *quam velit petulanter* illud *non sine . . .* ad *non possit* pertinens ferri omnino nequit. Ut initium § 9 docet, legendum est *etiam sine ulla suspicione male dicere*, quo magis illud *petulanter* illustretur. — **istarum partium culpa est eorum**] quod istas partes

---

[1]) Rhein. Mus. 35 p. 553. [2]) Agroecius VII p. 118 K: „pulchritudo formae in viris *dignitas*; inde Cicero pro Caelio: *quis non possit huic aetati atque huic dignitati, etsi sine suspicione, at non sine argumento male dicere?* in feminis autem honestas dicitur, unde Terentius de horrido et sene Eunucho: „illumne inhonestum hominem."

(locum de pudicitia) suscepisti, ii vituperandi sunt qui cet. Cf. de genitivo duplici Kuehner LG II p. 305, ann. 2. — **ornate politeque]** iam supra (§ 7) conieci Atratinum Ciceronis auditorem fuisse.
§ 9. **aetas]** h. e. antequam annum decimum sextum peregit, quo vulgo adulescentes *virilem togam* sumpserunt, cf. prol. p. IV. — **disciplinaque]** educatione severa, cf. Brut. § 112: „Cyri vitam et disciplinam legunt." — **virilem togam dedit . . . nemo . . . in illo aetatis flore]** anacolouthon, ex eo natum, quod verba de se Cicero interposuit, et quodammodo quaesitum, non neglegentia ortum, cf. Kühner LG II p. 1060—1062. — **tantum sit, quantum cet.]** de industria orator tecte loquitur, ne nimius sit in virtute sua laudanda. Sequi enim debebat post *dedit*: deductus est ad me, virum integerrimum et honestissimum, pro quo dixit: *nihil dicam hoc loco de me* cet. Quid sit v e r u m subiectum sententiae *tantum sit* (secundum grammaticae enim leges debet audiri: q u o d h o c l o c o d e m e d i c i p o t e s t), non facile est dictu. Ex verborum contextu apparet Ciceronem potissimum cogitasse de a u c t o r i t a t e sua, qua adulescentem recturus esset. — **continuo]** anno 69 a. Chr. n., cf. prol. p. V. — **deductum]** cf. Tac. dial. 34: „apud maiores nostros iuvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis, *deducebatur* a p a t r e vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem in civitate locum obtinebat. Hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus („voordrachten") interesse sive in iudiciio sive in contionibus assuescebat." C. 35: „at nunc (sc. aetate Taciti) adulescentuli nostri *deducuntur* in scholas istorum, qui rhetores vocantur." Cic. de amic. § 1: „ego autem a patre ita eram *deductus* ad Scaevolam sumpta virili toga, ut quoad possem et liceret, a senis latere numquam discederem." Marquardt Prl. I p. 125, 134. Itaque stante re publica adulescens simul in forum deducebatur et erudiendus tradebatur viro alicui principem locum in civitate obtinenti, aetate imperatoria sola illa in forum deductio manebat. — **in M. Crassi castissima domo]** illud *castissima* ab oratore additum esse videtur, ne quis hanc Caeli cum Crasso consuetudinem in suspicionem vocaret. Ceterum de Crasso cf. Plut. Crass. III: *ἀνέῳκτο ἡ οἰκία πᾶσι καὶ τοῖς φίλοις ἐδάνειζεν ἄνευ τόκων . . . ἐν δὲ τοῖς δείπνοις ἡ μὲν κλῆσις ἦν ὡς τὰ πολλὰ δημοτικὴ καὶ λαώδης, ἡ δ' εὐτέλεια τὴν καθαριότητα καὶ τὴν φιλοφροσύνην ἡδίονα τοῦ πολυτελοῦς εἶχε. παιδείας*

δὲ τῆς περὶ λόγον μάλιστα μὲν τὸ ῥητορικὸν καὶ χρειῶδες εἰς πολλοὺς ἤσκησε καὶ γενόμενος δεινὸς εἰπεῖν ἐν τοῖς μάλιστα Ῥωμαίων ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ τοὺς εὐφυεστάτους ὑπερέβαλεν. οὐδεμίαν γὰρ οὕτω δίκην φασὶ μικρὰν οὐδ' εὐκαταφρόνητον γενέσθαι, πρὸς ἣν ἀπαράσκευος ἦλθεν, ἀλλὰ καὶ Πομπηΐου πολλάκις ὀκνοῦντος καὶ Καίσαρος ἐξαναστῆναι καὶ Κικέρωνος ἐκεῖνος ἀνεπλήρου τὴν συνηγορίαν. καὶ διὰ τοῦτο μᾶλλον ἤρεσκεν ὡς ἐπιμελὴς καὶ βοηθητικός. — **artibus]** imprimis eloquentia, nec non iuris prudentia, ac fortasse philosophia, „laudatarum artium procreatrice", sed de mathematica, musica, grammatica (reconditis artibus) sermo non est, Cic. de orat. I § 9.

§ 10. **longe ab ista suspicione abhorrere debet]** talis est Caeli persona, ut ab ista suspicione debeat longe remota esse. Vulgo verbum abhorrendi significat: differre, alienum esse (quare Oetlingius coniecit *debetis* pro *debet* et Vollgraffius addidit *iudices*), sed hoc loco vis eius paulum mutata est, ut apud Liv. IV 44, 11: „eodem anno Postumia virgo Vestalis de incestu causam dixit criminis innoxia, *ab suspicione* propter cultum amoeniorem ingeniumque liberius quam virginem decet, parum *abhorrens*." — **petisse]** sc. anno 64 a. Chr. n. — **quamquam . . . tamen existimetur cet.]** apodosis incipit a vocabulo *quamquam* et sententia loci haec est: si Caelius umquam ad Catilinam accessit aut a me discessit, facile do eum nimium familiarem Catilinae fuisse, quamquam multi alii adulescentes nobiles in eadem re peccaverunt. Figura concessionis est, de qua cf. Quint. IX 2, 51. Simile exemplum praebet oratio legati cuiusdam Romani apud Liv. XXXI 31, 5: „nam quod ad ea attinet, quae nobis obiecit, nisi gloria digna sunt, fateor *ea defendi non posse.* — **multi boni adulescentes]** cf. Sall. Cat. 14, 5: „sed maxime *adulescentium* familiaritates appetebat (Catilina): eorum animi molles etiam et fluxi dolis haud difficulter capiebantur." — **at enim]** de figura occupationis cf. Kuehner LG II p. 692, 9. — **postea]** cf. § 12: „studuit Catilinae iterum petenti", h. e. anno 63, cum annum vicesimum tertium ageret. — **illud tempus aetatis]** ab anno aetatis decimo septimo usque ad vicesimum tertium. — **infestum]** passive = infestatum, parum tutum. — **fuit assiduus mecum]** a latere meo non discedebat, cf. Q. Cic. de petit. 37: „qui autem tibi debent, ab iis plane hoc munus exigito, qui per aetatem et negotium poterunt, ipsi *tecum* ut *assidui sint.*" — **praetore me]** sc. anno 66 a. Chr. n. Abl. absol. qui dicitur falsus, frustra a

nonnullis temptatus, cf. Brut. § 330: „quod ea gessissem, quae *de me* etiam *me tacente* ipsa loquerentur mortuo viverentque"; Kuehner LG II p. 591, 9. — **Africam tum praetor ille obtinebat]** Catilina a⁰ 67 in provinciam abierat, decesserat autem a⁰ 66 petiturus consulatum. Sed cum repetundarum accusatus esset, L. Volcacius Tullus consul rationem eius non habuit et Catilina destitit a petitione. Deinde a⁰ 65 *causam de pecuniis repetundis dixit* et absolutus est. Sed iudicio peracto tempus petitionis iam praeterierat. Itaque demum a⁰ 64 una cum Cicerone consulatum petiit; cf. Ascon. Ped. (K. et S.) p. 79, 28 (in or. in toga cand. 89); Sall. Cat. 18, 3. — **secutus est annus]** sc. 65, cf. supra. — **deinceps fuit annus]** sc. 64, cf. Sall. Cat. 23, 5.

§ 11. **tot . . . annos]** sex. — **Catilinae iterum petenti]** a⁰ 63, cf. supra et § 12. — **quem . . . ad finem]** quousque, quamdiu. — **putas]** singularis recte se habet, nam Cicero non iudices alloquitur, sed illum, quem sibi iam supra („a t e n i m postea scimus" cet.) adversarium finxit. — **custodiendam]** callide orator in se et Caeli patrem culpam vertit eius rei, quam adulescens, suo arbitrio usus, fecit. — **annus erat unus]** toga virili sumpta adulescens, antequam militiam aut rem publicam capessebat, per unum annum „tiro" manebat, h. e. aut in foro et campo Martio aut in castris se exercebat (quod t i r o c i n i u m f o r i aut m i l i t i a e dicebatur), cf. Marquardt Prl. I p. 123, ann. 3. — **ad cohibendum bracchium]** cf. Sen. Contr. V 6: „apud patres nostros qui forensia stipendia auspicabatur, nefas putabat b r a c c h i u m toga e x s e r e r e"; Quint. XI 3 §§ 137, 146. — **tunicati]** sine toga, sola tunica tecti. — **eademque erat]** eodem modo in castris atque in campo Martio adulescens exercebatur et mores decoros discebat. — **nisi qui se]** *qui* indefinitum, non relativum est, ut apparet ex coniunctivo *defenderet*, pro quo P exhibet *defenderat*, natum ex prava illa interpretatione. Praeterea si *qui* relativum esset, pro *tamen . . . non* in apodosi requireretur *nemo*. — **naturali quodam bono]** virtute aliqua insita. — **quoquo — esset]** coniunctivus ex attractione verbi *defenderet* ortus, cf. Kuehner LG. II p. 788, ann. 1. — **infamiam veram]** meritam infamiam, quae a calumnia libera est. Merito infamis est adulescens, qui, cum sine cortice natare potest, ipse pudicitiam suam non tuetur, cf. p. Cluent. 3, 7: „falsa i n f a m i a"; Hor. Ep. I 16, 39: „m e n d a x i n f a m i a". — **initia aetatis]** unum

illum annum, cf. supra. — **se corroboravisset]** reflexivum pro pass. cf. ad fam. XIII 10, 2: „ut (M. Terentius) *se corroboravit*".

§ 12. **aliquot annos]** sc. sex. — **ex omni ordine atque ex omni aetate]** cf. Sall. Cat. 14; Cic. p. Mur. 49. — **non expressa signa sed adumbrata <lineamenta> virtutum]** exprimere est premendo efficere. Itaque proprie imago aliqua exprimitur in cera vel gypso (Plaut. Pseud. 56; Plin. n. h. XXXV § 153), deinde per translationem dicitur de eo, quod tam perspicue effictum est, ut prope manu tentari possit, cui opponitur *adumbratum*, tantum per lineas pictum („geschetst"), cf. p. Rosc. Am. § 47 (Landgraf); de amic. § 97 (Seyffert). Iure igitur Franckenus, ad de n. d. § 75 „cedo mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta atque formas" provocans, inseruit vocem *lineamenta*: „van de groote deugden bezat Catilina, zooals gij u denkelijk herinnert, zeer veel wel niet sprekende beelden, maar dan toch vluchtige schetsen." — **et quidem]** habet vim adversativam („en toch"), cf. Kuehner LG. II p. 606. — **erant apud illum** cet.] de moribus Catilinae cf. Sall. Cat. 5; 14; 16. — **illecebrae libidinum]** orator Catilinam fuisse idoneum, qui iuventutem ad libidines alliceret, significat, quod diversum est ab eo quod paulo post de eodem enuntiatur: „flagrabant vitia libidinis apud illum", ubi ipse libidinosus describitur. Quare non opus est eo loco cum Baehrensio pro *libidinis* legere *luxuriae*. Confitendum tamen est verba *apud illum* post breve intervallum repetita molesta esse, sed Cicero in hac oratione etiam alibi eiusmodi iterationes non vitavit (cf. § 3). De Catilina cf. Sall. Cat. 14, 6: „nam ut cuiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari, postremo neque sumptui neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret." — **laboris]** Sall. Cat. 5, 3: „corpus patiens inediae, algoris, vigiliae, supra quam cuiquam credibile est." — **flagrabant vitia libidinis]** haec incendii imago apud Romanos multo est frequentior quam in lingua vernacula. Dicitur enim aliquis non modo cupiditate flagrare, sed etiam odio (de or. II § 190), invidia (Tac. ann. 13, 4), infamia (Cic. ad Att. IV 17, 2), et dixit Cic. Tusc. IV 69: „hic amor Medeae quanta miseriarum excitavit *incendia*." — **studia rei militaris]** cf. Sall. Cat. 60, 4: „strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur." — **monstrum]** „wezen", cf. Döderlein L. S. V 174: „es ist . . . in *monstrum* das Unnatürliche und Häszliche der Erscheinung besonders

hervortretend." De synonymis *omen, ostentum, monstrum, prodigium, portentum* cf. Tegge Lat. Syn. p. 212; Schmidt, H. der Syn. p. 112; GL VII p. 520 K; Fest. p. 138, 140, 157; Non. p. 430 M.; Dig. 50, 16, 38. — **[inter se pugnantibus]** haec verba delevi tamquam interpretamentum priorum. In codd. deest *et* ante *inter* et dubitatur inter *pugnantibus* et *repugnantibus*, quorum utrumque indicium interpolationis est. — **conflatum]** effectum, compositum. Metaphora ab aere sumpta: non enim tam contraria cohaererent et coalescerent, nisi conflarentur ut metalla. Cf. de n. d. II § 100: „ut una ex duabus naturis *conflata* videatur."

§ 13. **meliorum partium]** erat enim nobili genere natus, Sall. Cat. 5, 1, ubi cf. ann. Wirzi de gente Sergia. — **taetrior]** *taeter*, quod sine dubio eiusdem originis est atque verbum *taedere*, primo dictum esse videtur de odore et sapore, taedium movente, cf. Lucr. II 415, VI 22, I 936; Caes. b. c. III 49; Cic. de n. d. II § 141; deinde communiter = foedus, turpis. — **inquinatior]** magis pollutus. *Inquinatus* cohaeret cum voce *coenum* (postea *caenum*) et verbo *cuniendi* (= stercorandi), cf. Sommer Lat. L. u F. p. 68 et 89. — **tueri obsequio]** eorum amicitiam retinere morem iis gerendo. — **servire temporibus]** consulere commodis („belangen"). — **scelere etiam, si opus esset, <et> audacia]** inserui *et* cum Σ aliisque deterioribus, quod manifesto excidit propter praecedentem syllabam. Ne quis putet sententiam ita claudicare, quod vocem graviorem (*scelere*) sequatur levior (*audacia*), cf. § 51 s. f.: „plenum *sceleris* consilium, plenum *audaciae*"; p. Rosc. Am. § 28; rep. III § 27. — **remissis]** hilaribus, laetis, cf. Ov. Met. III 319: „*remissos* iocos agitasse"; Suet. Tib. 21: „*remissiores* hilarioresque sermones." — **facinerosis]** vetustior forma per *e* scripta in P servata est, cf. faenerator, tempestivus, Lindsay LG. p. 356.

§ 14. **assimulatae]** participium delevit Oetlingius tamquam supervacaneum et otiosum post praecedens *specie quadam*. Et ratio sane id flagitare videtur — species enim est verae virtutis, ipsa tamen falsa, ficta — nisi *virtutis assimulatae* genetivum explicativum intellegimus; cf. de n. d. I § 3: „in *specie* autem *fictae simulationis*, sicut reliquae virtutes, ita pietas inesse non potest." — **facultatis]** ita Madvigius pro codicum lectione *facilitatis*, et recte quidem, nam vitiis Catilinae non opponenda est una virtus (facilitas, comitas), sed bona indoles a natura ei tributa. — **ista condicio . . . respuatur]**

respuimus vel aspernamur id, quod nobis ab aliis offertur, ut h. l. condicionem sive legem ab adversariis statutam iudices debent respuere. Ista autem lex accusatoris poscebat, ut, quisquis Catilina amico usus esset, infamis haberetur. Cf. Verr. III § 5: „mea *lege* et *condicione*"; p. Cluent. § 150: „laqueos *legum* et *condicionum* ac iudiciorum". — **haereat**] sc. in Caelio, cf. § 15: „in quo . . . *haerebat*". — **[et cum quibusdam]** verba delevi, quod cum antecedentibus pugnant: *tum etiam multos fortis viros et bonos*. — **me ipsum . . . paene ille decepit**] hac ratione Cicero necessitudinem, quae sibi cum Catilina fuerit, excusare conatur. Iam Fenestella Catilinam a^0. 65 a Cicerone esse defensum tradebat, sed Asconius (p. 76 K. et Sch.) rem addubitat. Ipse tamen Cicero ad. Att. I 2, 1 (a^0. 64): „hoc tempore Catilinam, competitorem nostrum, defendere cogitamus". — **firmus amicus et fidelis**] cf. Liv. XXXI 9, 4: „subsidia *firma* ac *fidelia*" (exemplum „allitterationis", quam dicunt). — **magis est ut**] Kühner LG. II p. 813.

§ 15. **pudicitiae**] non cum Σ et Quint. legendum est *impudicitiae*, quae notio sane requiritur, sed retinenda lectio in P tradita, quae ita explicanda est, ut *pudicitia* dictum sit pro *parum pudicitiae*, quae figura vulgo appellatur „res pro rei defectu", cf. §§ 6 et 11, Iuv. Sat. II 39 (Friedländer). — **ad coniurationis invidiam**] sc. in Caelium commovendam, si eum participem fuisse apparebit. — **strictim**] obiter, leviter. De prima huius adv. significatione cf. Plaut. Capt. 268 (Speyer): „sed utrum *strictimne* attonsurum dicam esse an per pectinem, nescio". — **in quo**] relativum respicit ad *hunc* (Caelium) et tantum pertinet ad priorem periodi partem, nam post *sed* audiendum est: *in qua criminatione*. — **haerebat**] verum putabatur. — **cohaerebat**] sibi constabat („steek houden"). Figura (*haerebat . . . cohaerebat*) exemplum est adnominationis sive *παρονομασίας*, ad Her. IV § 29: „addendis litteris hoc pacto: hic sibi posset temperare, nisi amori mallet obtemperare"; Quint. IX 3, 66. — **volnus**] ut ulcus (*ἕλκος*) pro vitio. — **coniurationis accusatione**] accusavit enim C. Antonium, Ciceronis collegam, a^0. 59 de repetundis, sed simul ei societatem Catilinae obiecit, cf. prol. p. VI. — **commendare**] sc. populo Romano, qui Caelio, si causa vicisset et eloquentia in iudicio inclaruisset, facilius honores petenti mandaturus erat.

§ 16. **de ambitu et de criminibus istis sodalium ac sequestrium**] ut ex

§ 30 apparet, accusator Caelium vocaverat „*adulterum*, *impudicum*, *sequestrem*". Triplex igitur erat accusatio eius vitae. *Sodales* autem vocabantur, qui amicum magistratum petentem adiuvabant imprimis suffragiis corrumpendis, *sequestres*, quibus pecunia custodienda committebatur, qua corrumperentur ii, qui suffragia laturi erant, a divisoribus, Lange RA. I p. 717. Ambitus, de quo sermo est, reus fuerat non ipse Caelius, sed familiaris eius L. Calpurnius Bestia (§ 26), praeturae petitor, quem Cicero mense Februario huius anni 56 defenderat, ad Qu. fr. II 3, 6. Caelius cum hanc causam diceret, nullum magistratum etiamtum gesserat (§ 18). — **infinito ambitu**] latissime patente atque idcirco expensas immensas requirente. — **alterum**] Atratinum patrem. — **cuius ipse sibi perpetuam licentiam optaret**] etiam in hac sententia relativa condicio quaedam inhaeret, ut paulo ante *si* . . . *commaculasset* . . . *accusaret*. Ita Cicero ratiocinatur: studet Atratinum in suspicionem ambitus vocare Caelius, quod numquam fecisset, si in hanc partem sibi ipsi peccare perpetuo licere cuperet. Itaque non opus est Baehrensi coniectura *perpetuum silentium*. — **semel**] additum propter oppositum *iterum*. Bis Caelius Atratinum ambitus accusavit, cf. prol. p. VIII. — **tamen est eius modi**] ita res se habet, hoc ex Caeli accusatione sequi videtur. Recte Ernestius delevit *cupidus*, quod additum est ab eo, qui non intellegens *est* impersonaliter usurpatum esse, *eiusmodi* per adiect. masc. *cupidus* explicuit, cf. § 14 s. f.: *magis est*, *ut* cet. — **alterius**] Atratini patris. — **timide cogitare**] non timet, ne ipse arguatur eiusdem rei (ambitus), cuius alterum ipse accusavit.

§ 17. **nam quod**] paulo ante (§ 16) Cicero responsurum se dixit de crimine ambitus similiter atque de coniurationis societate respondisset. Nunc tamen de aere alieno pauca respondebit („*quam pauca respondeam*"). Habet igitur *nam* vim adversativam („daarentegen"), ut de legg. II 11, 28: „bene quod Mens Pietas Virtus Fides consecratur . . . *nam* illud vitiosum (est) Athenis, quod fecerunt Contumeliae fanum"; et saepius apud Tacitum, cf. Tac. dial. 9, 1; 13, 11; 22, 10; 25, 23 (Iohn); Germ. 14, 13; Kühner LG. II p. 716, 5. Sine dubio haec significatio orta est ex eo, quod in recto cogitationum ordine aliquid suppressum est, ut h. l.: de coniuratione et de ambitu pluribus respondi, *nam* operae pretium erat, sed paucis de aere alieno. — **tabulae**] sc.

accepti et expensi, ut appellantur p. Rosc. Com. I § 2: „si tabulas C. Fannius accepti et expensi („kasboek") profert suas"; Plaut. Truc. 70: „quos (scorta et lenones) quam ad rem dicam in argentariis resides haerere nisi pro tabulis nescio, ubi aera perscribantur usuraria — accepta dico, expensa ne quis censeat". — **tabulas . . . nullas conficit**] quia filius familias, dum in patria potestate est, nihil nisi peculium habet, ceterarum rerum dominium patris est, Marquardt Prl. I p. 4, ann. 3. Saepius tamen fiebat, ut faeneratores legem Laetoriam, „quae vetabat minorem annis viginti quinque stipulari" (Suet. Roth p. 305, 31), omnino contemnentes, adulescentibus magnis usuris pecuniam mutuam darent, Hor. Sat. I 2, 16: „nomina sectatur modo sumpta toga virili sub patribus duris tironum". — De usu verbi *conficiendi* („aanleggen, houden") cf. p. Rosc. Com. § 7: „quid est quod neglegenter scribamus adversaria („journaal")? quid est quod diligenter *conficiamus tabulas*?" p. Cluent. § 82; de or. II § 97: sed tamen ne *tabulas* quidem *conficere* existimor". — **versuram numquam fecit**] pecuniam numquam mutuam sumpsit („leening aangaan") cf. Paul. Diac. p. 379 (M, p. 578 Th. d. P.): „*versuram facere* mutuam pecuniam sumere ex eo dictum est, quod initio, qui mutuabantur ab aliis, non ut domum ferrent, sed ut aliis solverent, velut verterent creditorem". Inde *versurā solvere* est pecunia mutua sumpta aliquod nomen („post") expungere, Marquardt SV. II p. 63. Ciceronem h. l. verum dicere de Caelio parum probabile est, nam constat adulescentem sumptuosum patre parco et tenaci saepe difficultate nummaria laborasse, cf. Vell. II 68, 1: „peior illi (Caelio) res familiaris quam mens erat". — **habitationis**] gen. definitivus est = mercedis habitationis annuae („huishuur"), cf. ad fam. XIII 2, 1: „peto igitur a te . . . ut ei de *habitatione* accommodes"; Suet. Caes. 38: „annuam etiam *habitationem* Romae usque ad bina milia nummum, in Italia non ultra quingenos sestertios remisit." Ex posteriore loco simul apparet tenuiores quinta parte mercedis, quae in Palatino modica esset (*decem milibus*), habitare solitos esse. — **insulam esse venalem**] *insula* domus magna est, cuius partes singulae (aediculae) locantur a domino, vel ex pluribus domibus conducticiis continuatis constat, cf. Fest. p. 111 (M, p. 79 Th. d. P.): „*insulae* dictae proprie quae non iunguntur communibus parietibus cum vicinis circuituque publico aut privato cinguntur" cet.,

Marquardt SV. II p. 124, Rich D. d. A. s. v. *insula*. Caelius has aediculas a P. Clodio, fratre Clodiae, conduxerat, ut amicae vicinus esset. — **ad tempus eius mendacium vestrum accommodavistis]** ad utilitatem P. Clodii hoc mendacium repperistis maiorem domus mercedem fingentes.

§ 18. **semigrarit]** Bakius indicativum restituit *semigravit*, fortasse recte, cum Ciceronem, si coniunctivum voluisset, aliud tempus (*semigrasset*) praelaturum fuisse, veri simile sit. — **[quod quidem iam in hac aetate minime reprehendendum est]** verba optimo iure delevit Schoellius, primum quod *in hac aetate* non habeat, ad quod referatur (nullius enim aetatis in superioribus mentio facta est), deinde quod eadem sententia in proxima periodo diserte pertractetur, tum quod relativum consequens *qui* nomine, quod „antecedens" dicitur, careat, si haec verba *quod . . . reprehendendum est* interposita sint, postremo quod adv. *iam* pravum locum obtineat in lectione tradita. — **ex publica causa]** ita restituit Franckenus pro *ex rei publicae causa* („in het belang van den staat"), quod Latine non dicitur pro vulgari *ex re publica*, nec potuit dicere Cicero, cum ipse Antonium defendisset, cf. § 15 s. f. *Publica* nomini *causa* antepositum esse videtur (nam plerumque dicitur ordine inverso *causa publica* Brut. § 178, p. Rosc. Am. § 59), quia in illo omnis vis posita est. Nam privata causa ab adulescente acta non tantopere famam eius auxisset. Coniectura Franckeni codice Σ probatur. — **mihi quidem molestam]** frustra enim Antonium Cicero defendit. — **per aetatem magistratus petere posset]** quaeritur, qui magistratus anno 59, quo Antonius condemnatus est, a Caelio potuerint peti. Plerumque ita primus honorum gradus, quaestura, indicari solet, ut vel maxime apparet ex Tac. Ann. XI 22: „P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum, qui quaesturam adipiscerentur. Apud maiores virtutis id praemium fuerat cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum *petere magistratus*." Sed a⁰ 59 Caelius, etiamsi eum a⁰ 85 natum esse statuimus, nondum ad aetatem legitimam pervenerat, qua quaesturam petere posset, cf. prol. p. IX. Quare Franckenus ‚tribunatum militum significatum esse putavit et Caelium studuisse fieri „tribunum militum legionibus quattuor primis aliqua earum" [1]),

[1]) Marquardt SV. II p. 364, 7.

quod munus passim in magistratuum numero habetur (p. Cluent. §§ 148 et 156) et ea aetate a Caelio poterat peti, Mommsen SR. I 546. Sed malim assentiri Wieschhoeltero, qui sic de hoc loco disputat (p. 20): „verba illa (sc. „*per aetatem magistratus petere*") non nisi strictim et obiter atque sine omni contentione ab oratore emissa sunt, magis ut veras obtegeret causas, quibus permotus Caelius patris domum reliquerat." — **permittente patre . . . ab eo]** de abl. absoluto, qui falsus dicitur, cf. § 10 *praetore me.* — **semigravit et . . . abesset]** hoc *et* a Baehrensio transpositum est post *abesset*, quo factum est, ut sententia causalis *cum . . . abesset* cum prioribus iungenda esset. Haec coniectura prima specie arridet, sed accuratius intuentibus nobis apparet non potuisse Ciceronem ita loqui propter genetivum *patris*, qui male in eodem verborum ambitu additus esset post antecedens *ab eo*, nunc tamen recte se habet in nova sententia post *et cum.* — **nostras domus]** Ciceronis et Crassi (§ 9), Cic. de dom. 38, 102; 43, 114; Plin. n. h. XVII 5 et 6, XXXVI 7; Richter Topogr. v. Rom p. 143. Domus Ciceronis iuxta porticum, quam Q. Lutatius Catulus aedificaverat, sita erat, Crassi autem aedes clarae erant propter atrium, in quo columnae e marmore Hymettio confectae aspiciebantur, nec minus celebres arboribus, quibus cingebantur. — **domum]** hoc ultimum vocabulum Vollgraffius in marginem relegavit propter repetitionem auribus ingratam (cf. § 3): *domus domus domum.* Vocabulo sane carere possumus (Verr. III § 71: „si magno emerat"), sed ita exsistit clausula a Quintiliano IX 4, 100 [1]) damnata, sc. molossus, qui non brevem syllabam ante se habet: *Palatiō nōn māgnō.* — **de adventu regis Ptolemaei]** cf. prol. p. XX. Obiecerat accusator pulsatos esse a Caelio Puteolis Alexandrinos legatos, quam partem Crassus cum refelleret, questus est *de adventu Ptolemaei.* Nisi enim ille venisset Romam, ne legati quidem venissent nec pulsatio Puteolana facta esset, in qua defensione Crassus versus illos Ennianos recitaverat. — **utinám ne in nemore Pélio]** versus primus est Ennii tragoediae, quae inscribitur Medea exsul, ex Euripidis Medea expressae (cf. Ribbeck, fragm. trag. p. 49), ubi nutrix *προλογίζει:*

[1]) „ex iis, quae supra probavi, apparet molosson quoque clausulae convenire, dum habeat ex quocumque pede ante se brevem: *illud scimus ubicumque sunt, essĕ prō nōbīs.*"

utinám ne in nemore Pélio securibus
caesa áccedisset ábiegna ad terrám trabes
neve índe navis íncohandi exórdium
coepísset, quae nunc nóminatur nómine
Argó, quia Argivi ín ea delectí viri
vectí petebant péllem inauratam árietis
Colchís, imperio régis Peliae, pér dolum.
nam númquam era errans méa domo ecferrét pedem
Medéa animo aegra, amóre saevo saúcia.

Expressa sunt ex Euripidis Medea v. 1 sqq. *εἴϑ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσϑαι σκάφος κτέ.* — **longius . . . contexere**] continuare, plures versus addere. Eodem modo dixit Hirt. b. G. VIII praef. 2: „*contexere* commentarios Caesaris." — **liceret**] non legendum est *licet*, ut Baehrensius volebat; irrealis enim ita explicandus videtur: si vellem, mihi potius quam Crasso *liceret* plures versus, qui ad Clodiam deflecti possent, ex illa tragoedia laudare. — **ad id loci**] cf. § 37 sqq. — **Palatinam Medeam [migrationemque]** postremam vocem cum Schoellio delevi, quoniam notiones tam diversae (*Medea*, *migratio*) non possunt per *-que* arcte iungi. Clodiam in Palatio habitantem festive Cicero sic appellat, quia Caelium Atratinus *pulchellum Iasonem* appellaverat, cf. prol. p. XXI.

§ 19. **quam ob rem . . . non pertimesco**] contextus verborum est: neque pertimesco testes, quos accusatores producturi sunt, nam illi quoque a Clodia subornati sunt, ut ista mulier *omnium malorum causa* est. — **praemuniri**] ante afferri et parari ad reum circumveniendum et urgendum, cf. Cic. orat. § 137: „ut ante *praemuniat.*" — **pontificiis comitiis**] in catalogo pontificum, qui anno 57 Ciceronis domum religione liberarunt (de har. resp. 6, 12), de quo diligenter exposuit Marquardt SV. III p. 243, postremum locum obtinet C. Scribonius Curio, in cuius comitiis factum est id, quod Cicero hic commemorat. Est Curio pater, qui Clodium de incesto defendit et post exsilium cum Cicerone, ut apparet, in gratiam rediit (Francken, Mnem. 8, p. 210). — **nihil egerit**] = non lege egerit, quae verba Baehrensius restituit, sed etiam in proximis *agere* ita nude positum pro *lege agere* dictum est. Cf. Sen. de ira I 16, 5: „et *agi* iubebo non iratus, sed severus." — **id queri**] noluit ille testis ipse Caelium accusare de vi, sed in lite ab alio (Atratino) ei intenta cum eo expostulare de pulsatione. — **queri maluerit**] otiosum post *si id*

queri quam agere maluerit, non tamen delendum, cf. § 3. — **acute arguteque**] acriter et callide disputans. — **nascetur ex sese**] proprie dicitur acula *nasci ex se*, quae non ex alio flumine manu hominum derivata est, sed sponte sua e terra exsiluit, et figurate senator ille *nascitur ex se*, cum non ab accusatoribus inductus ad testimonium sit, verum ultro iniuriam suam persequatur. Lusus verborum sive annominatio, ut veteres interpretes putabant, neque in hoc loco inest neque occurrit apud Tac. ann. XI 21: „Curtius Rufus videtur mihi *ex se natus*", nam omnis significatio *senatus* utroque loco longe abest. — **ut soleo, commovebor**] ironice dictum: senator ille, si sponte sua testimonium dicet, cura me et metu afficiet. Oppositum est *laetabor*. — **capite**] Clodia. Manet in eadem similitudine, dicitur enim fons *caput aquarum*. — **cum**] habet vim concessivam. — **inventum**] post hoc vocabulum in Σ (et in Guelferbytano 205, qui ex Σ derivatus est) legitur: *de teste Fufio*. Cui lectioni si fides habenda est, veri simile est *Q. Fufium Calenum* significatum esse, qui a⁰ 61 tribunus plebis, a⁰ 59 praetor fuerat, postea a⁰ 51 bello Gallico in Caesaris castris erat. Cum Antonius hostis rei publicae iudicatus esset, Fulvius in senatu Ciceronis consiliis adversabatur, Phil. VIII § 11 sqq.

§ 20. **neque tamen . . . pertimesco**] spectant haec verba ad initium § 19 *non pertimesco* et ita *tamen* interpretandum est: quamquam fortasse exspectatis me ceteros testes timere, *tamen* eos non magis timeo quam senatorem illum. Similiter Sall. Cat. 19, 1: „*neque tamen* senatus provinciam invitus dederat." — **nocturnorum**] iocose ita appellantur, quia iniuriam *noctu* uxoribus suis illatam queruntur. — **attrectatas**] subagitatas, „aangerand"; Suet. Ner. 26: „ac saepe in eiusmodi rixis oculorum et vitae periculum adiit, a quodam laticlavio, cuius uxorem *attrectaverat*, prope ad necem caesus." — **graves**] ironice, quia nunc demum iniuriam queruntur multo ante uxoribus illatam. — **iurati**] testes, cf. § 4. — **ne congressu quidem et constituto**] congressus et constitutum („een tusschen partijen afgesproken bijeenkomst") ipsi liti antecedere solebat, si litigantes, antequam in ius ibant, privatim ascitis amicis et disceptatoribus domesticis rem componere conabantur, cf. p. Caec. 33: „qui ad *constitutum* experiundi iuris gratia venissent"; p. Quint. § 38: „si quid in controversiam veniret, aut *intra parietes* aut summo iure experiretur?" Top. 52: „ante rem quaeruntur colloquia, locus,

constitutum." — **experiri**] ius suum exsequi. — **prospicitis**] non *perspicitis*, ut Baehrensius volebat, nam agitur de re futura, ut apparet ex futuro *inferetur*. — **subministrantur**] „worden toegereikt" a Clodia.

§ 21. **ut invidiosum sit in eos**] ut accusatoribus invidia confletur. — **vobis quoque causam putare esse**] cum Σ omisi *vos* ante *causam*, quod plane abundat post verba *vestrae sapientiae est* et infringit vim, quae inest in illo *vobis quoque*. — **vestrae fidei consulendi**] habendi rationem iurisiurandi vestri ac religionis. — **quam multos esse arbitramini, qui** cet.] „hoe velen moeten er zijn, die" enz. Non interrogatio est, sed exclamatio, quare nulla negatione opus est post relat. *qui*. — **disertis**] causidicis, qui tali auxilio testium egeant. — **operam navare**] non modo operam suam multitudo forensis pollicetur, sed iam statim, postquam ultro se obtulit, operam d a t adiuvatque potentes illos ligitantes.

§ 22. **<paucorum>** inserui cum Vollgraffio, propter oppositum *omnium hominum* necessarium, nam si abesset, *hominum potentias* locutio esset, solis poetis concessa, pro *homines potentes*, cf. Hor. A. P. 191: „mox trahitur manibus r e g u m f o r t u n a (= reges fortunati) retortis." — **abducam a testibus** cet.] est locus communis de testibus, quorum fides aut addubitatur aut magni fit, prout oratori conducit, cf. p. Flacc. § 9, p. Font. § 22. — **detorqueri**] sc. a vero et quo accusatores volunt. — **argumentis agemus**] sed argumenta illa non ante cap. XIII afferuntur, cf. § 25 et prol. p. XXVI.

§ 23. **peroratam**] pertractatam, non de postrema oratione agitur, nam Crassus verba fecit secundo loco, Cicero tertio. — **de seditionibus Neapolitanis . . . bonis Pallae**] cf. prol. p. XX. — **de Dione**] cf. § 18 et prol. p. XX sqq. — **de quo ipso . . . expectetis?**] de Dione nolite putare me quicquam dicturum, nam ipse P t o l e m a e u s c o n f e s s u s e s t caedem se fecisse (Dionem a se occisum esse). Fortasse intenderat iure eum a se rege esse interfectum. — **P. Asicius**] Asicius a Cicerone defensus (cf. § 24) a Licinio Calvo, Catulli familiari, inter sicarios et veneficos accusatus erat, cuius oratio, etsi aetate Taciti etiam exstabat, tamen a nullo legebatur, Tac. dial. 21. — **invidia**] tantum aberat, ut commune odium, quo adiutores Ptolemaei flagrabant, et indignatio populi Asicio innocenti — si Ciceroni fidem habemus — obessent, ut iudices eum absolverent.

§ 24. **at praevaricatione** cet.] itaque Atratinus Calvum dixerat ab Asicio corruptum esse, ut causae rei (Asicii) clam faveret, cf. part. orat. 124. — **perfacile est** cet.] perfacile ista praevaricationis crimina refutem, sed non faciam. Caelius enim, etsi Asicium innocentem et iure absolutum arbitratur, tamen sibi nihil cum Asicio commune esse putat. — **cuicuimodi . . . sit**] de genetivi forma *illimodi, istimodi, cuimodi* cet. cf. Sommer L. L. und F. p. 473, de coniunctivo cf. § 11. — **neque solum Caelius**] sc. Asicii causam a sua seiunctam esse putat. — **rectissimis**] honestissimis. — **Titus Gaiusque Coponii . . .**] de toto loco, quem dedi, ut exhibetur in Σ, fusius disputavi prol. p. XXXII. De his adulescentibus cf. p. Balb. § 53: „quo modo ex eadem civitate (Tibure) T. Coponius, civis item summa virtute et dignitate (*nepotes T. et C. Coponios nostis*) damnato C. Masone civis Romanus est factus?" — **doctrinae studio**] Dio enim erat academicus. — **habitabat apud Titum, ut audistis, Dio; erat ei cognitus Alexandriae**] concedendum est haec verba optimam sententiam praebere ac nunc demum perspicua esse, quae sequuntur (*aut hic aut . . . frater*), quae omnino sensu carent, si pro *apud Titum* legimus *apud L. Lucceium.* Verum confiteamur orationem esse hiulcam et Ciceronem raro vel nusquam tam infracta et amputata locutum esse. Quocirca si Σ genuinam lectionem servavit, probabile est Ciceronem in agendo haec explevisse, cf. § 53. — **summo splendore praeditus frater**] Gaius Coponius sub Crasso ad Carrhas pugnavit cum Parthis (Plut. Crass. 27), deinde a⁰ 49 praetor cum aliis classi Pompeianae praeerat (Cic. ad Att. VIII 12 A 4, de div. I § 68, Caes. b. c. III 5, Vell. II 83); postea Antonius ei pepercit, quod uxor eius illi se vulgavit (App. b. c. IV 40). Factum esse potest, ut hoc tempore, quo Caelius causam dicebat, iam quaestura functus esset. De Tito nihil aliunde notum.

§ 25. **ut aliquando . . . veniamus**] sed rursus argumentatio differtur ad § 30^b, et sequitur altera digressio. — **L. Herennium**] de L. Herennio Balbo, subscriptore Atratini, nihil constat, nisi quod post inter accusatores Milonis fuit, Ascon. in Milon. p. 30, 4 (K. et S.). — **dicendi genere quodam**] cum contemptu dictum est, cf. Ov. Met. I 404: „ut *quaedam*, sic non manifesta videri forma potest hominis". — **illa subtiliter ad criminandum inducta oratio**] non modo Herennius eloquentia quadam excellebat, sed in luxuria reprehendenda callide orationem *induxit* (cf. Quint. V 14, 8: „*inducunt* approbationem")

criminationis plenam. — **accideret]** arreperet, penetraret; cf. Verr. IV § 2: „denique nihil istum, quod ad oculos animumque *acciderit* . . . reliquisse". — **in hac suavitate humanitatis]** in suavi ratione vitae hodierna, quam humanitas nobis peperit. — **patruus]** „zedenmeester, boetprediker", Hor. Sat. II 3, 87: „ne sis *patruus* mihi"; C. III 12, 3: „*patruae* verbera linguae"; Pers. I 11: „cum sapimus *patruos*"; Manil. V 454: „*patruive* rigorem". — **quid quaeritis?]** formula transitionis est = denique, ne multa; cf. Hor. Ep. I 10, 8: „*quid quaeris?* vivo et regno, simul ista reliqui" cet. Cic. fam. II 9, 2; IX 18, 2; XII 23, 2. — **ignoscebam vobis . . . horrebam]** „minus mirabar vos quamvis falsam orationem attente audire, propterea quod nescio quem horrorem δεινότης illa mihi quoque incutiebat" (Orellius); *horrebam* = cum horrore audiebam.

§ 26. **meo necessario Bestiae]** eodem hoc anno (56) Cicero a. d. III Id. Febr. pro *L. Calpurnio Bestia*, qui a⁰. 57 praeturam frustra petiverat, de ambitu dixerat apud praetorem Cn. Domitium in foro medio maximoque conventu, Cic. ad Qu. fr. II 3, 6; prol. p. XXIII. Postea haud amice Cicero de eo iudicat, Phil. XI 5 § 11: „quid *Bestiam?* qui consulatum in Bruti locum se petere profitetur. Atque hoc quidem detestabile omen avertat Iuppiter! Quam absurdum autem, qui praetor fieri non potuerit, petere eum consulatum! nisi forte damnationem pro praetura putat". — **[non me haec movent]** verba cum Schoellio expunxi non modo propter consequentia *neque vero illud me commovet* et *ad illa quae magis moverunt* (§ 27), sed praesertim cum sententia causali *etenim eos una* cet. explicetur illud *quae perspicue falsa sunt*, quocirca haec verba debent per se posita esse, non ab aliis (*non me haec movent*) pendere. — **eos una cenasse . . . dicere]** sententia loci obscuri haec est: testes, qui Caelium cenae Bestiae interfuisse probent, desunt, nisi forte eos producere velis, quibus idem de se confitendum est, sc. se una cum Bestia cenasse. Propter indicativum *absunt* . . . *necesse est* cum Schoellio demonstrativum *eos* delere nolim, sed mutare malim in *tot*. — **in Lupercis]** *Luperci* (proprie = lupi, cf. *hirpi*), sacerdotes Fauni erant duodecim numero, qui quotannis a. d. XV Kal. Martias paene nudi, februis instructi Palatinum circumibant. Sacra illa erant partim pastoricia, partim lustralia, quae etiam quinto post Chr. n. saeculo nondum abolita erant, cf.

Wissowa R. u. K. d. R. p. 172, 483. — **germanorum Lupercorum**] „van echte wolven"; ridet orator ferum illum et priscum cultum. — **non modo nomina deferunt** cet.] „obiecisse videtur Herennius Caelio eum in Lupercalibus obscene et turpiter sese gessisse; se id vidisse suis oculis, esse enim e sua sodalitate" (Weiskius). Quam accusationem Cicero sollerter in ipsum accusatorem convertit monens, quam turpe sit sodali (Luperco) sodalem accusare atque etiam illam sodalitatem in iudicio palam prae se ferre.

§ 27. **et eo lenior quo plus disputationis habuit quam atrocitatis**] ita verba corrupta levissima medela emendare conatus sum. Cicero *disputandi* artem, qua *deliciarum obiurgatio* excellebat in Herennii oratione, *atrocitati* opposuisse videtur, quae in ea parte apparebat, qua Caelius Lupercus perstringebatur. — **etiam . . . attentius**] quam ea pars, quae de Lupercis agebat, cf. § 25: *vobis attente audientibus.* — **nam P. Clodius, amicus meus**] per *nam* introducitur digressio ad alterum subscriptorem, P. Clodium, quem orator spernit, quocum paucis verbis expostulare se posse existimat. Quis fuerit ille Clodius, an notus ille tribunus plebis, non constat inter viros doctos[1]), sed ego inclino ad eorum sententiam, qui alium esse significatum putant, e familia plebeia ortum, quales duo Lucii Clodii memorantur apud Cic. ad fam. III 4, 1, ad Brut. I 1, 1. Sine dubio poterat Cicero tribunum ironice *amicum suum* appellare eumque adversarium spernendum brevi refutatione turpiter abicere, sed non verisimile est, si iam hoc loco de tribuno sermo fuisset, eundem et § 32 (*cum istius mulieris viro — fratre volui dicere*) et § 36 (*potissimum minimum fratrem*) a Cicerone ita induci potuisse, quasi etiamtunc nulla eius mentio facta esset. Totus locus docet hunc Clodium a fratre Clodiae diversum esse. Accedit, quod tribunus nusquam alibi *in causis frustra litigasse* traditur, praeterquam quod Catilina lege repetundarum absolutus est P. Clodio accusante, cf. § 10; in Pison. § 23: „a Catilinae praevaricatore quondam". — **se . . . iactaret**] „zich weerde", cf. de orat. I 73: „*iactare se* in causis centumviralibus". — **inflammatus**] „opgewonden"; nihil mutandum, iocose enim Cicero Clodium

---

1) Pauly-Wissowa III 1268, 24; Drumann II² 315, 5; Wieschhölter p. 22, 4; prol. p. XIX.

iram simulasse dicit atque ita se gessisse, quasi vera iracundia flagraret; cf. Sil. It. II 514: „inde severa levi decurrens aethere virgo/ luctantem fatis petit *inflammata* Saguntum". — **frustra litigantem]** causa cadentem. — **Balbe]** idem qui paulo ante (§ 25) L. Herennius appellatus est. — **precario]** ironia: precabor Balbum, ut liceat mihi eum defendere, qui luxuriose vixerit (ut multi alii fecerunt) — **si fas est . . . viderit]** talibus utitur verbis orator in hac vita luxuriosa describenda, ut in iis ipsis iam contemptus et irrisus criminationis insit. Quamobrem non mutandum est *viderit* in *viserit.* Iam *videre* Baias, Balbo iudice, Cicero illudens peccatum esse fingit. Quod attinet ad Donati additamentum *qui in hortis fuerit* pro verbis codicum *qui nullum convivium renuerit*, cum Vollgraffio illa a Donato ex memoria tradita esse puto et fortasse sumpta ex § 38 *cuius in hortos domum Baias*; § 36: *fuisti nonnumquam in isdem hortis*; § 49: *si in hortis, si in Baiarum illa celebritate faciet.* — **Baias]** de his aquis et secessu amoeno cf. Hor. Ep. I 1, 83: „nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis"; Iuv. Sat. III 4 (Mayor).

§ 28. **primoribus labris gustassent]** cf. fr. F V 93: „illud nescio quid quod *in primoribus* habent, ut aiunt, *labris*"; de orat. I 87: „quae isti rhetores ne *primoribus* quidem *labris* attigissent." Ut apparet ex loco priore, proverbium nondum ita se in sermonem Tullii insinuaverat, ut semper omisso *ut dicitur, ut aiunt* uti eo auderet. — **extremis, ut dicitur, digitis]** cf. Plaut. Bacch. 675: „*digitulis* duobus sumebas *primoribus*"; Poen. 566: „vix quidem hercle (tenes rem) . . . *digitulis primoribus.*" De utroque proverbio cf. Otto Spr. p. 115, 5 (*digitus*), p. 181, 1 (*labrum*). — **dedissent]** Ascensius in ed. tertia: *dedidissent*, ut § 47 *si sese isti vitae dedidisset,* sed promiscue hoc sensu translato et verbum *dandi* et *dedendi* usurpatur, cf. p. Rosc. Am. § 18; div. in Caec. § 4; Suet. Caes. 31: „convivio *se* frequenti *dedit.*" — **emersisse]** absolute et figurate positum = „er boven op komen", cf. ad Att. VI 2, 4: „hac autem re incredibile est quantum civitates *emerserint*" (sc. cum ante aere alieno obrutae essent). — **se ad frugem bonam, ut dicitur, recepisse]** nolui cum Vollgraffio tollere illud *ut dicitur*, etsi hanc repetitionem nimis ingratam ad aures accidere facile concedo (cf. § 3), sed locutio *se ad bonam frugem recipere* ad sermonem plebeium pertinere videtur, quare Cicero eam adhibere noluit nisi parenthesi illa addita; cf.

Plaut. Trin. 118: „quin *ad frugem* corrigis (sc. adulescentem)?" 270: „certa res est *ad frugem* applicare animum"; Bacch. 1085: „viso ecquid eum ad virtutem aut *ad frugem* opera sua compulerit"; Gell. XIII 28 (27), 2: „ibi scriptum est, cum multa alia *ad bonam frugem* ducentia tum vel maxime" cet. — **natura profundit adulescentiae cupiditates]** si attendimus ad ea quae sequuntur *quae* (*voluptates*) *si ita erumpunt*, apparet *profundit* h. l. significare: facit ut pullulent, se eiciant (§ 75). Similiter de orat. II 88: „facilius sicut in vitibus revocantur ea, quae *sese* nimium *profuderunt*." Quapropter *adulescentiae* non dat. sed gen. est. — **ut nullius vitam labefactent . . . evertant]** ut neque patrimonium dilapident neque suam patrisque famam bonam elevent neque familiam dehonestent eius mulieris, quacum iis consuetudo est; Hor. Sat. I 2, 61: „bonam deperdere famam, rem patris oblimare, malumst ubicumque"; 78: „desine matronas sectarier, unde laboris plus haurire malist quam ex re decerpere fructus."

§ 29. **sed tu mihi videbare . . . itaque omne illud silentium** cet.] „tu unum Caelium petisti eique nocere voluisti universos denotando; noli *igitur* silentium orationi tuae tributum ita interpretari, quasi de Caelio cogitaverimus, immo vero de multorum adulescentium vitiis." Cum iudices moti esse videantur verbis, quae Balbus de vita probrosa Caelii fecit (§ 25), non mirum est, si Cicero omnem operam dat, ut illam animi attentionem aliis causis tribuat atque veritati descriptionis. — **facile est accusare luxuriem]** est locus communis de luxuria, qualem exempli gratia invenimus p. Rosc. Am. § 75: „in urbe *luxuries* creatur, ex *luxurie* exsistat avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia, inde omnia scelera ac maleficia gignuntur." — **dies iam me deficiat]** formula, quae non minus Romanis quam Graecis oratoribus in deliciis erat, *ἐπιλείψει με λέγονθ' ἡ ἡμέρα* Dem. de cor. 296; Landgraf ad p. Rosc. Am. § 89. **iam** non cum Franckeno in *etiam* mutandum est, cum habeat suam propriam vim et oppositum sit *τῷ sed vestrae sapientiae, iudices*, cet. — **protervitate]** „brooddronkenheid", de fin. V § 62: „quis est qui non oderit libidinosam, *protervam adulescentiam*?" cf. Calphurn. ad Ter. Heaut. 814: „*protervitas* levior est quaedam contumelia, procacitas maior, petulantia maxima"; Tegge, Lat. Syn. p. 79. — **ut („al") tibi reum neminem [sed vitia] proponas, res tamen ipsa . . . potest]** optimo iure Bakius verba *sed vitia* circumclusit,

nam sententia, ut nunc legitur, languet: *vitia* cum dicit, *rem* intellegit, quae opponitur singulis reis. Ergo si retinetur illud *sed vitia*, proximum *tamen* absurdum est, cum nulla sit oppositio. Vocabula *sed vitia* sine dubio fluxerunt ex annotatione, qua *res* explicaretur. — **et copiose]** verba a Naugerio inserta, cuius coniectura probata est codice Σ. — **non abduci ab reo]** non pati cogitationes vestras a reo abduci, cf. div. in Caec. § 46: „ne ille te *ab* institutis tuis *cogitationibus*que *abducat*. — **quos aculeos habeat severitas . . . emittere** cet.] *aculeus* (demin. vocis *acus*, ut *nucleus*, *manuleus*, *eculeus*) proprie spiculum est, quo apis se defendit, quod *erigit*, *emittit*, cf. Verg. Georg. IV 236 sqq.:

illis ira modum supra est, laesaeque venenum
morsibus inspirant et *spicula caeca relinquunt*
affixae venis animasque in volnere ponunt.

Eadem similitudo p. Cluent. § 152: „evellere se *aculeum severitatis* vestrae posse confidunt." — **in rem . . . . in hominem]** utrumque uncis inclusit Leutschius, quem secutus est Vollgraffius, sed si concinnitatem periodi restituere cupimus, potius delenda sunt *in vitia*, *in mores*, *in tempora* et paulo post *et in reum*. Videtur tamen *in hominem et in reum* ἓν διὰ δυοῖν esse: „de persoon van den aanklager."

§ 30ª. **tuae]** sc. Balbi. — **vacationem adulescentiae]** est *vacatio*, quam adulescentia dat a severitatis onere et continentiae, „verontschuldiging wegens den jeugdigen leeftijd"; cf. de legg. I 10: „*aetatis* potius *vacationi* confidebam"; Nep. Att. 7, 1; p. Sull. § 26: „si me non modo non *rerum gestarum* („wegens mijne daden") *vacatio*, sed neque honoris neque aetatis *excusatio* vindicat a labore." — **invidia communis]** Baehrensius haec verba arte inter se cohaerentia male dividens *invidia* transposuit post *iuventuti* (ita legit pro *iuventutis*), ut magis perspicua esset oppositio inter *communis* et *huic*, neve sententia relativa *quam video esse magnam* nimis longe ab antecedente, quod dicitur, separaretur. Sed neutra causa satis valet ad lectionem traditam tam violenter mutandam. *Quam video esse magnam* parenthesis est, quae sic pronuntiari potest, ut omnis ambiguitas tollatur, quo relativum *quam* sit referendum. — **proprie]** „uitsluitend, speciaal"; de off. I § 37: „(nomen hostis) a peregrino recessit et *proprie* in eo, qui arma contra ferret, remansit".

III. ARGUMENTATIO C. XIII—XXIX[a] §§ 30[b]—69 (prol. p. XXVI).

§ 30[b]. **in quibus una atque eadem persona versatur]** quibus Clodia primas partes agens implicita est („achter de schermen zit"). Usus verbi *versandi* reapse h. l. a vulgari abhorret, sed non desunt exempla, quae prope ad h. l. accedunt, de orat. I § 10: „quanta in obscuritate rerum et quam recondita in arte (mathematici) *versentur*"; de inv. I § 27: „narratio, quae *versatur* in personis". — **[aurum sumptum . . . dicitur]** verba delevit Schoellius, cum Clodia nominatim memorata iam antecapiatur id, quod post (§ 31) demum orator idque per gradationem demonstrare vult: *auro opus fuit*; *sumpsit a Clodia.* Interpolator additamentum ex § 51 *duo enim sunt crimina* cet. traxit. — **daretur, dicitur]** Clarkius cum Σ *daretur ut dicitur* provocans ad Zielinskium, das Klauselgesetz in Ciceros Reden, p. 207. — **[non crimina, sed maledicta]** haec quoque interpolata videntur ex § 6: *quod . . . omnium accusatorum non criminibus, sed vocibus maledictisque celebratum est* et male tenorem sententiae interrumpunt, cum *non . . . sed* non possit iungi cum *magis quam*, neque magis *crimina . . . maledicta* ferri iuxta *iurgii . . . publicae quaestionis.* — **sequester** is dicitur, apud quem pecunia deponitur, quae in petendis honoribus dividatur suffragatoribus, Festus p. 339 M. (504 Th. d. P.). Ut § 16 docet, Caelius hoc munus susceperat in petitione Bestiae (§ 26); cf. p. Planc. § 48: „tu doce, per quem *sequestrem* (tribus) corrupta sit".

§ 31. **video certum nomen et caput]** *caput* h. l. non idem valet atque *fons* (velut de orat. I § 42; p. Planc. § 57; de fin. V § 17), sed iunctum cum verbis *certum nomen* indicat eum, qui primas partes agit, ut p. Flacc. § 48: „*caput* concitandorum Graecorum Heraclides" („hoofdaanlegger"). — **egregiae familiaritatis]** Quint. V 13, 30: „artificis autem est invenire in actione adversarii, quae contra semet ipsa pugnent aut pugnare videantur, quae aliquando ex rebus ipsis manifesta sunt, ut in causa Caeliana Clodia aurum se Caelio commodasse dicit, quod *signum magnae familiaritatis* est; venenum sibi paratum, quod *summi odii* argumentum est". — **sollicitavit, quos potuit, paravit, locum constituit, attulit]** brevis enumeratio facinorum Caeli, in qua festinatio causa est, cur obiectum (*venenum*) desit èt verbo *paravit* èt postremo vocabulo *attulit.* Baehrensius, quem maxime offendit illud *quos potuit*, et

hanc difficultatem et alias tollere conatus est legens: *sollicitavit servos, potionem paravit* cet., sed *servos* ab hoc loco alienum est, quod illi § 57 demum (*servisne mulieris? sic enim obiectum est*) introducuntur, hic tamen orator nihil certi affert; deinde de *potione* nusquam sermo est, ubique de *pyxide* (§ 61 sqq.), postremo accepta Baehrensi coniectura tamen *attulit* caret obiecto. — **sed etiam nota]** „berucht". Eadem paronomasia Cicero usus est Verr. act. I 6, 15: „qui non tam me impediunt, quod *nobiles* sunt, quam adiuvant, quod *noti* sunt". De numeris huius et consequentis clausulae cf. Quint IX 4, 97—98.

§ 32. **Cn. Domiti]** Cn. igitur Domitius Calvinus praetor huic quaestioni de vi praeest, munere collegae M. Aemilii Scauri, cui haec quaestio de vi obvenerat, nescio quam ob causam fungens. Domitius enim ipse quaestioni de ambitu praepositus erat, cf. prol. p. XXIII. — **pro tua praestanti prudentia]** ita blande loquitur verens, ne Domitius personam Clodiae in iudicium inductam esse moleste ferat. — **aurum . . . commodasse]** non est aurum signatum, quod Clodia Caelio mutuum dedit, sed aurea sunt ornamenta (§ 52). — **matrem familias secus quam** cet.] nam de matrona pudica et proba diceret: *quam honoris causa nomino*, cf. p. Rosc. Am. § 27: „ad Caeciliam, Nepotis sororem, Balearici filiam, quam *honoris causa nomino*". De hac formula cf. Landgrafium ad p. Rosc. Am. § 6. — **nisi intercederent mihi inimicitiae** cet.] vehementius quam nunc Cicero in Clodiam inveheretur, nisi periculum esset, ne eius in Clodium, Clodiae fratrem, odium causa nimiae indignationis videretur. — **viro — fratre volui dicere]** non semel Cicero Clodium accusat, quod stupri consuetudinem cum sorore fecerit, cf. § 78: „cum suo *coniuge et fratre*"; de har. resp. §§ 38, 42, 59; p. Sest. § 39 (*sororis adulter*); ad Att. II 1, 4; ad fam. I 9, 4; praeterea Vell. II 45; Plut. Cic. 29. Ablativus *fratre*, appositio cum sit praecedentis vocabuli *viro*, non obiectum verbi *dicendi*, probandus est et optimo codice P praebetur. In eiusmodi correctionibus vel explicationibus librarii saepe casum mutarunt: p. Sest. § 53: „ipso die, *die* dico?" Phil. V § 49: „C. Caesari, *patri* dico"; ad Att. XVI 15, 5: „ne Terentiae quidem adhuc quod solvam expeditum est. *Terentiae* dico." Kuehner LG II p. 184, ann. 3. — **mea fides]** quam Caelio dedi, cum ei patrocinium meum promitterem. — **muliebres . . . inimicitias . . . gerendas]** numquam putavi mihi cum

mulieribus bellum esse gerendum; cf. Caes. de b. c. I 3, 4: „qui veteres *inimicitias* cum Caesare *gerebant*". — **praesertim cum ea cet.]** de hac ironia cf. Quint. IX 2 §§ 44 et 99.

§ 33. **austero more]** *austerus* (αὐστηρός, αὔω) non mitis, non suavis, proprie de vini sapore, deinde ad hominis mores et orationem transfertur. — **ab inferis excitandus est]** de hac figura cf. Cic. Top. § 45: „in hoc genere oratoribus et philosophis concessum est, ut muta etiam loquantur, ut *mortui ab inferis excitentur*, ut aliquid, quod fieri nullo modo possit, augendae rei gratia dicatur aut minuendae, quae ὑπερβολὴ dicitur, multa alia mirabilia." Quint. III 8, 54: „frequentissime vero in his utimur ficta personarum, quas ipsi substituimus, oratione, ut apud Ciceronem pro Caelio Clodiam et caecus Appius et Clodius frater, ille in castigationem, hic in exhortationem vitiorum compositus, alloquitur". Aquila de fig. sent. et eloc. III: „prosopopoeia est personae confictio. Haec figura plurimum in se continet dignitatis, cum . . . defunctos aliquos quasi *excitamus ab inferis* et in conspectu iudicis collocantes, oratione hos circumdamus. Talis est illa pro Caelio *Appii Caeci* persona, inducta contra Clodiam, ita dicens, *mulier, quid tibi cum Caelio?* cet. Saepe enim quae nos ex nostra persona dicentes vix ferant iudices, supposita dignitate personae liberius dici et convenientius poterunt". Cic. de orat. III § 205: „personarum ficta inductio vel gravissimum lumen augendi". — **ex barbatis illis]** ita appellantur prisci illi Romani, qui ante a. 300 a. Chr. n. vixerunt, quo primi tonsores ex Sicilia Romam venerunt, Varro de r. r. II 11 § 10: „omnino tonsores in Italiam primum venisse ex Sicilia dicuntur p. R. c. a. CCCCLIII, ut scriptum in publico Ardeae in litteris exstat, eosque adduxisse Publium Titinium Menam. Olim tonsores non fuisse adsignificant antiquorum statuae, quod pleraeque habent capillum et *barbam magnam*". Et teste Plinio (n. h. VII § 211) Scipio minor primus omnium cotidie radi instituit, divus Augustus cultris semper usus est; cf. Iuv. Sat. IV 103, XVI 31 (Mayor), Cic. p. Mur. § 26, p. Sest. § 19, de fin. IV § 62. — **hac barbula]** qua erant amici Clodiae, adulescentes delicati, cf. ad Att. I 14, 5: „concursabant *barbatuli* iuvenes."— **Caecus ille]** est Appius Claudius Caecus, qui bis consul fuit a⁰ 307 et a⁰ 296, et censor (a⁰ 312) viam Appiam munivit et aquam Claudiam in urbem duxit (Liv. IX 29, 6; Front. de aquae

duct. V). — **quid tibi cum Caelio?]** est haec vulgaris formula loquendi, quae praesertim apud comicos invenitur, Ter. Phorm. 421: „postremo tecum nil rei nobis, Demipho, est"; Cic. ad fam. XV 10, 2: „si mihi tecum minus esset quam est cum tuis omnibus." — **cum alieno]** non tibi cognito, cf. Cat. I 23: „ut a me non eiectus ad *alienos*, sed invitatus ad tuos isse videaris." — **ut venenum timeres]** laudat hanc clausulam Quint. IX 4, 102, constantem ex choreo, spondeo, bacchio — ⏑ / — — / ⏑ — —. Aliter dividunt Zielinskius et Bornecquius: — ⏑ — / — ⏑ — —.[1]) **non patrem tuum videras, non patruum, non avum, non proavum, <non abavum>, non atavum audieras consules fuisse]** cum Orellio aliisque inserui *<non abavum>*, quorum verborum reliquiae adhuc in Σ supersunt. Cur *abavus* omittatur, cum quinque sint aetates ab Appio Claudio Caeco, qui loquens inducitur, usque ad patrem Clodiae, nulla est causa. Claudiorum stemma sic se habet (Pauly-Wissowa III 2665):

Ap. Claudius Caecus cos. 307 et 296,	tritavus	Clodiae.
P. Claudius Pulcher cos. 249,	atavus	„
Ap. Claudius Pulcher cos. 212,	abavus	„
C. Claudius Pulcher cos. 177,	proavus	„
Ap. Claudius Pulcher cos. 143,	avus	„
C. Claudius Pulcher cos. 92,	patruus	„
Ap. Claudius Pulcher cos. 79,	pater	„

A nonnullis dubitatum est, essetne Claudius cos. 143 pater

---

[1]) Zielinskius (cf. supra, p. 72) statuit has clausularum species prae ceteris Ciceroni acceptas:

1) — ⏑ — / — ⏓
2) — ⏑ — / — ⏑ ⏒
3) — ⏑ — / — ⏑ — ⏓
4) — ⏑ — / — ⏑ — ⏑ ⏒

Bornecquius (les clausules métriques dans l'Orator) paulum a Zielinskio discrepans haec quattuor clausularum genera frequenter obvia distinxit:

a) — ⏑ — / ⏑ *gloriantur.*
b) — ⏑ — / — ⏑ *collocaretur.*
c) — ⏑ — / — ⏑ — *cessit audaciae.*
d) — ⏑ — / — ⏑ — ⏑ *audeat iudicare.*

Ut apud Zielinskium, in omnibus creticus basis est.

Claudii cos. 79, quod ita inter patris filiique honores intercapedo satis magna annorum sexaginta quattuor statueretur. Sed hoc intervallum tot annorum ita explicandum est, ut pater iam grandior natu fuerit, cum filius genitus est, et filius non suo anno, sed multo post aetatem legitimam consulatu functus sit. Pater autem (App. b. c. I 18) paulo post Tiberium Gracchum mortuus est, h. e. post a^{m} 133. Itaque si filius anno priore editus est, praetura functus est (a^{0} 89, p. Arch. § 9), natus annos quadraginta quinque, consulatu autem decem annis post. Cf. Pauly—Wissowa III 2849, n^{0}. 296; Francken Mnem. VIII p. 216; Suet. Tib. 1.

§ 34. **modo**] paucis annis ante (a^{0} 59). *Q. Metellus Celer*, qui a^{0} 63 praetor (Sall. Cat. 57), a^{0} 60 consul fuerat, subito mortuus est, neque suspicio aberat, quin a Clodia uxore veneno sublatus esset (§ 59). Erat vir „cuius paucos pares haec civitas tulit", ut Cicero in Pis. IV 8 ait. Eum ludibrio habet Catullus tamquam amicae suae maritum C. LXXXIII (Baehrens). Clodia et Metellus consobrini[1]) erant, ut hoc stemma docet (Pauly—Wissowa III 1235, 49):

C. Caecilius Metellus Balearicus

Q. Caecilius Metellus Nepos cos. 98 | Caecilia Metella ∾ Ap. Claudius Pulcher cos. 79

Q. Metellus Celer ∾ Clodia. | Q. Metellus Nepos. | Ap. Claudius. | P. Clodius. | Clodia ∾ Q. Metellus Celer.

patriaeque amantissimi] ita benevole Cicero de eo iudicat, quod P. Clodii ad plebem transitum maxime consul impediverat (de har. resp. 21, 45). Similiter ad Att. II 1, 4: „verum praeclare Metellus impedit et impediet: quid quaeris? est consul φιλόπατρις et, ut semper iudicavi, natura bonus." § 5: „sed ego illam (Clodiam) odi male consularem; est enim seditiosa, cum viro bellum gerit, neque solum cum Metello, sed etiam cum Fabio, quod eos mihi amicos esse moleste fert." — **simul ac pedem limine extulerat**] quotiens domo ad forum, curiam, provincias exierat. — **in familiam clarissimam nupsisses**] Oudendorpius requirit *innupsisses*, sed etiam simplex verbum hoc modo usurpatur, Liv. IV 4 § 10: „ut in quam cuique feminae convenisset domum nuberet." Composito Livius utitur I 34 § 4. — **cognatus, affinis**] Dig.

[1]) Eiusmodi matrimonium non vetitum erat lege, Marquardt Prl. I p. 31.

XXXVIII 10, 4 § 1: „*cognati* ab eo dici putantur, quod quasi una communiterve nati vel ab eodem orti progenitive sunt .... § 3 „*affines* sunt viri et uxoris cognati, dicti ab eo quod duae cognationes, quae diversae inter se sunt, per nuptias copulantur et altera ad alterius cognationis finem accedit." — **nonne]** Orellius: *non*, sed cf. § 60 et Madv. ad Cic. de fin. II 3, 10 (p. 153), Hand. Turs. IV p. 313. — **imagines viriles]** sc. cereae, quas Clodia in atrio domus patris conspicere poterat, Marquardt Prl. I. p. 241—244. — **progenies . . . mea]** fortasse neptis Ap. Claudii Caeci, filia P. Claudii Pulchri cos. 249, Pauly—Wissowa III 2899, 435 (Münzer.) — **Q. illa Claudia]** nota est fabula de Claudia, quae casta quidem, sed suspectae pudicitiae, innocentem se probavit, quod ei soli contigit, ut navem cum sacris Matris Deum Idaeae obhaerentem Tiberino vado extraheret, cf. Liv. XXIX 14 § 12 (a^{0} 204 a. Chr. n.): „*matronae* primores civitatis, inter quas unius *Claudiae Quintae* insigne est nomen, accepere (sc. Matrem Deum); Ov. Fast. IV 305; Suet. Tib. 2; Cic. de har. resp. 13, 27; Aur. Vict. 46; Dio fr. 57, 61; Macr. Sat. II 5, 4; App. Hann. 56; Sil. It. XV 37; Plin. n. h. VII 34, 120. Non illepide Seneca (fragm. Haase 80): „melius tamen . . . cum illa (Claudia) esset actum, si hoc, quod evenit, ornamentum potius exploratae fuisset pudicitiae quam dubiae patrocinium." Claudiae postea in templo Matris Deum statua consecrata erat, quae vim incendii bis effugit, Tac. ann. IV 64, 4. Navis illa, qua Mater Romam vehebatur, Salvia appellabatur, cf. C. I. L. VI 492—4: „*Matri Deum et Navi Salviae*", unde nonnulli prave collegerunt Claudiam nomine „Navisalviae" divinis honoribus esse celebratam. — **virgo illa Vestalis Claudia]** Val. Max. V 4, 6: „quae (Claudia) cum p a t r e m suum triumphantem e curru violenta tribuni plebis manu detrahi animadvertisset, mira celeritate utrisque se interponendo, amplissimam potestatem inimicitiis accensam depulit." Pater ille cos. 143 triumphavit de Salassis, gente Alpina, Liv. per. 53, Dio fr. 74, 1 et 2; Oros. V 4, 7. Ergo Claudia Vestalis amita est Clodiae, et mirum, quod Cicero hoc consanguinitatis indicium non addidit. Quare non spernendus est Suetonius (Tib. 2), qui consulem illum triumphantem f r a t r e m Vestalis Claudiae dixit. Si res ita se habet, amita magna Clodiae est et minus mirandum Ciceronem hoc non memorasse. — **bona]** virtutes. — **pacem Pyrrhi diremi]** potius: dissuasi ne fieret, cf. de sen. VI § 16:

„is (Ap. Claudius) cum sententia senatus inclinaret ad pacem et foedus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius (fr. 202 V.):

quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
antehac, dementes sese flexere viai?

ceteraque gravissime; notum enim vobis carmen est; et tamen ipsius Appii exstat oratio." Brut. §§ 55; 61; Phil. I 5, 11. — **aquam adduxi]** sc. ex agro Lucullano in urbem, ubi „imo Publicii clivo ad portam Trigeminam distribui incipiebat" (Front. de aquae duct. 5) Richter Top. R. p. 316. — **inceste uterere]** inceste Clodia aqua Appia utebatur, si post concubitum (§ 36) ea lavabatur, cf. Marquardt Prl. I p. 282; de Nerone qui aquam Marciam polluerat, cf. Tac. ann. XIV 22. — **alienis viris comitata]** participio *comitatus* non semel Cicero cum vi passiva utitur (dom. 28, 76; Cat. 2, 2, 4; Phil. 12, 10, 25; Tusc. V § 113). Ablativus *alienis viris* potius instrumentum voluntate aliena motum, quam hominem sua sponte agentem indicat, quare deest praepositio *a*, cf. Kühner LG. II p. 279, 9; Cic. p. Mil. § 54: „uxore constrictus". Latius hic usus patet apud Iuvenalem, cf. Friedländer et Mayor ad Iuv. Sat. I 13: „assiduo ruptae lectore columnae". — **celebrares]** frequentares.

§ 35. **videro]** hoc fut. exact., iunctum cum adverbiis *mox*, *post*, *alias*, saepissime pro fut. simplici usurpatur, Kuehner LG. II p. 114, 4. — **ut vel severissimis]** iniuria Landgrafius (ad p. Rosc. Am. § 6, p. 139) contendit *vel* cum superlativo iunctum vim restringendi et sententiam debilitandi habere (= fortasse). Haec tamen viri docti opinio et origini huius iuncturae repugnat (Lindsay LG. p. 599: *Homerus vel summus poeta*) et omnino aliena est a loco, qualis hic est, ubi Cicero non dubitat, sitne probaturus Caeli vitam iudicibus „fortasse" severissimis, sed hoc sine dubio ponit, se etiam severissimis iudicibus persuasurum. — **tu vero, mulier]** transit orator a *προσωποποιΐα* ad *ἀποστροφὴν*, quae dicitur, adversariam invadens, Quint. IX 2, 38. — **si ea quae facis . . . probare cogitas** cet.] anaphora *quae . . . quae . . . quae* alium locum in mentem revocat, ad Her. IV § 30: „qui veniam, qui sim, quare veniam, quem insimulem, cui prosim, quem postulem, brevi cognoscetis". Contextus orationis, qua Cicero h. l. utitur (usque ad § 36), hic est: Clodia, quae Caelio vitam dissolutam per alios

exprobrat, ei familiarissima fuisse debet, si haec omnia novit. Accusatores enim multi fuerunt in illa vita luxuriosa obicienda idque Clodia haud invita se fecisse dixerunt. Itaque Clodiae aut refutanda sunt, quae accusatores insimularunt, et Caeli familiaritas neganda, aut ne eius quidem testimonio credendum est, quippe quae omnium rerum conciliatrix et conscia fuerit. — **libidines . . . navigia]** ex hac enumeratione nullam vocem desiderare velim, minime eas, quas Franckenus expunxit. Constat periodus ex quattuor colis, quorum primum et ultimum tria, secundum et tertium duo vocabula continent. Ex *libidine amores* („liefdesbetrekkingen") et *adulteria* oriuntur; *Baiis* lautissime in *actis* cenant, ἀκτάζουσι (Plut. Symp. 4, 4); post *convivia* adulescentes *comissatum* eunt (κωμάζουσι); nox agitur *navigantibus* inter meretrices *canentes* et pueros *symphoniacos.* Huic picturae simillima est Baiarum descriptio apud Sen. ep. 51, 12: „habitaturum tu putas umquam fuisse ibi (sc. Baiis) M. Catonem [1]), ut praenavigantes adulteras dinumeraret et tot genera cumbarum variis coloribus picta et fluitantem toto lacu rosam, ut audiret canentium nocturna convicia? nonne ille manere intra vallum maluisset, quod in unam noctem manu sua ipse duxisset? quidni mallet, quisquis vir est, somnum suum classico quam symphonia rumpi?" *Symphoniaci* utriusque sexus erant, plerumque ex Asia importati, qui psallendo vel tibia canendo dominos delectabant, Marquardt Prl. I p. 151, ann. 8. — **navigia]** pro navigationibus, etsi rarum, non tamen sine exemplo, ad Her. IV § 57: „qui in navigio (ita codd. meliores) se quam navem mavult incolumem"; Lucr. V 1006: „improba navigii ratio tam caeca iacebat" (versus a Lachmanno damnatus). Dig. 45, 1, 122; 43, 12, 1. — **nihil . . . credendum]** argumentatio satis spinosa: nisi Clodia probra ab accusatoribus in Caeli vitam iactata diluit, ipsa eiusdem intemperantiae consciam se esse fatetur, cum familiarissima Caelio fuerit, eiusque testimonio non credendum est.

§ 36. **urbanius]** facetius, § 6; de fin. I § 39: „ut a patre audiebam *facete et urbane* Stoicos irridente." — **minimum fratrem]** P. Clodium, cf. stemma § 34. — **urbanissimus]** non sine quadam ironia de eo dictum, qui potius lascivus et impudicus quam urbanus et venustus

---

[1]) Ita coniecit Gertzius pro: *inimica Catonem.*

erat. — **credo**] si ironicus sermo est, inseruntur vel *credo* vel *opinor* vel *puto* sine coniunctione *ut*, Kuehner LG. II p. 526. — **semper pusio** cet.] deest particula comparativa *quasi*, quo maior invidia moveatur Clodio. *Pūsio* puer est, praesertim puer delicatus, Iuv. VI 34 (Friedlaender): „nonne putas melius (Postume), quod tecum pusio dormit?" Quod ad veriloquium attinet, cum vocabulis *pūsus* et *pūsa* cohaeret, sed *pŭsillus* diversae originis esse videtur, cf. Sommer L. L. u. F. p. 295. Iocum h. l. a Cicerone adhibitum Quint. VIII 3, 22 in numero „gratorum idiotis leporum" habet. — **quid tumultuaris**] *tumultuari* (olim etiam act.) vox est propria sermonis cotidiani („lawaai maken"), Plaut. Rud. 629 (638): „quid sit mi expedi, quod *tumultues*." — **quid clamorem exorsa verbis parvam rem magnam facis**] cui poetae comico hic versus debeatur, ignotum est; Ribbeckius (fragm. Com. p. 123, LIV) iure *clamore*, quod libri exhibent, in *clamorem* mutavit. *Verbis* iungendum est cum verbo *facis*. — **vicinum**] cf. § 18. — **candor huius** cet.] de Caeli forma cf. prol. p. XVI. — **pepulerunt**] commoverunt, amore affecerunt. — **in isdem hortis**] sive quod vicini erant, sive quia Clodia suis hortis adulescentem et epulis apparatis excipiebat. — **tenaci**] sc. pecuniae sive bonorum, cf. Plaut. Capt. 289: „*tenaxne* pater est eius? Immo edepol pertinax." Ter. Ad. 866; Cic. p. Planc. § 54. De Caeli patre cf. prol. p. IV. — **calcitrat**] proprie de equis, Plin. n. h. XXX § 149: „mulas non *calcitrare*, cum vinum biberint." Inde „*calcitrones* (Non. 45 M., I p. 64 L.) qui infestent calcibus. Plautus in As. (391): „clamat, procul si quem videt ire ad se *calcitronem*." Varro Sesqueulixe (479): „itaque tunc ecum mordacem, *calcitronem*, horridum / miles acer non vitabat". Hor. Sat. II 1, 20: „cui male si palpere, *recalcitrat* undique tutus". — **ac diligenter**] de industria, consulto. — **parasti**] = emisti. In sermone plebeio pro *emere* usitatius erat *comparare*, cf. Grandgent, Vulgar Latin § 12. — **hinc licet condiciones cotidie legas**] si mulieri cum viro quodam convenit de aliquo congressu nocturno, haec dicitur *condicio* („afspraakje, rendez-vous, liaison"), Plaut. Mil. 951: „quae tibi / *condicio* nova, luculenta fertur per me interpretem". Ter. Andr. 79: „accepit *condicionem*, dein quaestum occepit", ubi Donatus adnotat: „*condicio* est pactio certam legem in se continens". Suet. Oct. 69: „*condiciones* quaesitas per amicos (sc. Augusti)". Itaque in hortis Tiberinis Clodia spectans adulescentes

natantes eligere poterat, qui sibi maxime placeret, quocum conveniret de stupro, sive illa pecuniam accipiebat, sive dabat.

§ 37. **Caecilianumne]** Caecilius Statius, contubernalis et aequalis Ennii (obiit autem a°. 168, uno anno post Ennium), quamquam malus auctor Latinitatis (Cic. ad Att. VII 3, 10), tamen eodem Cicerone auctore „fortasse summus comicus" (de opt. gen. or. I § 2) erat, cuius „gravitas" ab Horatio (Ep. II 1, 59) laudatur, qui, si Varronem audimus (Non. 374 M., II p. 596 L.), „in argumentis poscit palmam, ut in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus", cf. Teuffel RLG § 106. Patres, ab eo in scaenam producti, acres et morosi fuisse videntur, ut apparet e Synepheborum fragmento (Ribbeck fr. Com. p. 69 v. 199 sqq.), ubi adulescens aliquis contra communem opinionem queritur, quod sibi pater minime durus contigerit, cum vulgo patres filiis amantibus severissimi sint:

In amóre suave est súmmo summaque ínopia
paréntem habere avárum, illepidum, in líberos
diffícilem, qui te néc amet nec studeát tui.

Huic patri Caeciliano mox (§ 38) pater Terentianus opponitur mitis et comis, quemadmodum Quint. XI 1, 39: „aliter Caecilianus ille, aliter Terentianus pater fingitur". Quamquam ne in Terentii quidem fabulis patres tristes et austeri, ut Chremes in Heaut. Tim. V 4 (Hor. A. P. 94) et Demea in Adelphis, desunt. — **nunc enim demum** cet.] idem versus a Cicerone laudatur de fin. II § 14; Ribbeckius (fr. Com. p. 73, v. 230) partes huic patri fuisse suspicatur vel in Asoto vel in Fallacia vel in Hymnide vel in Pausimacho. — **ó infelix]** hiatus post interiectionem, cf. Spengel, praef. Ter. Andr. p. XXXII. — **quae tu omnia]** *quae* referendum ad *omnia*, de quibus in superioribus sermo erat (Ribb.). — **ferrei sunt isti patres, vix ferendi]** cum Baehrensio membrum disiectum *ferrei sunt isti patres* ante *vix ferendi* traieci, sed dubito, sintne haec quoque verba desumpta ex Caeciliana quadam fabula, ut idem vult, nam neque in iis metrum inest neque adiect. *ferreus* translata significatione apud comicos invenitur. — **cur te in istam vicinitatem** cet.] iam ab his verbis incipiens Ribbeckius frustra iambicum metrum efficere conatus est. Trochaicos numeros primus restituit Franckenus (Mnem. 8, p. 219). — **disice]** ita edendum est, non *dissice* (Clarkius). *Dissicere* enim, quod originem ducit a verbo *secandi* (cf. *lavere* iuxta *lavare*), verbum satis rarum est

(Plaut. Curc. 424; Titinius fragm. 84) significatque: in duas partes secare, dividere, *disicere* tamen est idem atque spargere, dilapidare (Francken l. l. p. 220). — **tibi dolebit**] impersonalis constructio, orta e locutionibus, quales sunt: *pes mihi dolet.* Iam apud Plaut. Epid. 147: „*mihi dolet* quom ego vapulo". Et ipse Cicero, fortasse constructione verbi vicini inductus, p. Mur. § 42: „cui placet obliviscitur, cui dolet meminit". — **qui**] abl. omnium generum, ortum ex *quīd, h. l. pro *quo*, cf. Sommer L. L. u. F. p. 466, ε.

§ 38. **derecto seni**] *derectus* vera forma est, ut Franckenus (l. l. p. 221) demonstravit, nam quo antiquiores codices sunt, eo constantius hanc formam servant, nec minus auctoritatis huic formae conciliatur perpetua illa cum *decretus* confusione. *Derectus senex* is est, qui sine ambagibus loquitur et suo quamque rem, quodque vitium nomine appellat, severus, durus, cf. § 42: „severa illa et *derecta* ratio"; part. orat. § 130. — **quid signi**] cf. Landgraf ad p. Rosc. Am. § 83. — **nulla iactura**] „geldelijke offers", cf. p. Flac. § 13: „quae *iactura*, qui sumptus, quanta largitio!" ad Att. VI 1, 2: „exhaustam esse sumptibus et *iacturis* provinciam". — **versura**] cf. § 17. — **quotus quisque**] quam pauci. Saepe Cicero periphrasi *quotus quisque est qui* cet. utitur (velut de orat. III 196; Tusc. II § 11; p. Sest. § 93; cf. Kuehner LG. II p. 861), at tamen non ubique: p. Planc. § 63, p. Lig. § 26, de n. d. I § 78, de div. II § 52. — **male audisse**] mala fama et existimatione usum esse, κακῶς ἀκοῦσαι, cf. ad Att. VI 1, 2; X 8, 9. — **frater**] cf. § 36. — **leni . . . patre**] abl. absol., Kuehner LG. II p. 586—587. — **fores ecfregit** cet.] versus Terentiani sunt ex Ad. 120. — **filii**] h. l. personati, quemadmodum personatus inducitur pater, sed quis indicetur, nemo non sentit. — **expeditissima**] patrono facillima dictu. — **quid . . . in quo**] „op welke aanklacht", ut dicitur: aliquem defendere *in* capitis periculo, *in* iudiciis. — **si esset aliqua dissimilis istius**] manifesta ironia prorsus ut § 50: „tui dissimilis", et cf. quae adnotavimus ad § 32. Si *similis* vel *haud dissimilis* legeremus, ut Vollgraffius aliique proposuerunt, nihil proficeremus et tantummodo pro Clodia substituta esset alia mulier isdem moribus praedita. Sed nunc in lectione tradita illa ironia inest, quasi sit Clodia mulier pudica. Simul Cicero hac ratione dicendi utens etiam turpiora in inimicam congerere poterat, quam si eam sine anfractu quodam compellaret. — **pervulgaret**] de

stupro plerumque Livius verbo simplici sic utitur, I 4, 7; XXXIX 53, 3. — **haberet . . . decretum**] quae sibi in singulos dies eligeret ac decerneret aliquem ad explendam libidinem. — **cuius**] fem. gen. est pertinetque ad *aliqua dissimilis.* — **Baias**] villam Baianam. — **iure suo libidines omnium**] *suo* referendum ad *omnium* et *libidines omnium* dictum pro: omnes libidinosi. — **parsimoniam patrum . . . sustentaret**] *sustentare* h. l. significat: tolerabiliorem reddere, ut apud Caes. b. c. III 49, 1: „atque ipsa spes inopiam *sustentabat*" h. e. efficiebat ut inopia posset ferri. Proprie enim non parsimonia sustentatur sed adulescentes, quibus Clodia prodest adversus patrum parsimoniam. Cf. Liv. XXXIX 9, 6: „ultro enim amatus appetitusque erat (sc. Aebutius ab Hispala Fecenia, scorto nobili) et maligne omnia praebentibus suis (sc. matre et vitrico) meretriculae munificentia *sustinebatur*". — **vidua**] sine marito. — **proterva**] sine pudore. — **liberius salutasset**] sic eadem res speciosis verbis tegitur, quae paulo post (§ 49 *osculatione*) Clodiae vitio vertitur.

§ 39. **parens commendavit**] cf. § 9. — **collocaret**] cf. ad Qu. fr. I 1, 29: „(si) ii qui regerent, omne suum studium in doctrina et sapientia collocassent"; cf. etiam § 49. — **indole virtutis atque continentiae**] genitivi sunt explicativi: indole proba, honesta, continenti. — **aequalium studia**] amicorum caritas et consuetudo. — **mea sententia . . . puto**] pleonasmus (Kuehner LG. II p. 1051) eo facilius ferendus, quo magis orator suam sententiam sententiae adversariorum opponere studet. Cf. Quint. I 10, 15: „eius sectae principes in hac fuere sententia, ut existimarent" cet. — **Camillos, Fabricios, Curios**] *M. Furius Camillus*, qui dictator quinquies fuit, post cladem Alliensem Romae servator (a^0 390), cuius laudes celebrat Liv. VII 1, 9—10, cuius statua in rostris conspiciebatur togata sine tunica (Asc. in Scaur. p. 25, 27), et *C. Fabricius Luscinus*, qui cos. 282 Lucanos et Bruttios ad Thurios vicit, legatus ille integerrimus, qui se a Pyrrho corrumpi non passus est (Plut. Pyrrh. 18), quo auctore senatus eundem regem monuit, ut ab insidiis proximorum caveret (Gell. III 8, 1) et *M.' Curius Dentatus*, qui cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, in vita rustica consumpsit extremum tempus aetatis (de sen. § 55), exempla sunt Ciceroni in deliciis, ubicumque priscam illam simplicitatem morum et continentiam depingere vult, qua

Roma caput orbis terrarum factum est. Cf. in Pis. § 58: „o stultos *Camillos, Curios, Fabricios*" cet. (ironice); Lael. § 18: „numquam ego dicam *C. Fabricium, M.'Curium,* Ti. Coruncanium, quos sapientes nostri maiores iudicabant, ad istorum normam fuisse sapientes"; § 28: „quis est, qui *C. Fabricii, M.'Curii* non cum caritate aliqua et benevolentia memoriam usurpet"; § 39: „. . . . *C. Fabricium Luscinum* et *M.'Curium* inter se coniunctissimos fuisse memoriae proditum est". Post Ciceronis aetatem haec exempla trita sunt in scholis rhetoricis, unde in carmina aetate imperatoria condita facile invaserunt, cf. Iuv. Sat. II 3, 153; VIII 4; XI 78 (Mayor); Manil. I, 787.

§ 40. **non solum . . . sed vix**] pro: *non solum non . . . sed vix*, cf. Kuehner LG. p. 673, 14. — **chartae**] „het papier". Non modo praecepta Stoicorum neglecta iacent, sed etiam papyrus, in qua scripta sunt, vetustate abolita est. Orellius hoc interesse putat inter *libros* et *chartas*, ut illi a multis legantur, hae in bibliothecis asserventur, sed unde hoc discrimen effecerit, nusquam apparet. Adverbium *quoque* post *chartae* satis indicat ipsam materiem, e qua libri facti sunt, rebus et argumentis librorum opponi. Cf. ad Att. II 20, 3: „iam enim *charta ipsa* ne nos prodat, pertimesco". — **rationem vitae**] „levensregel, -wandel". Cf. de leg. Man. § 1: „hoc aditu laudis non mea me voluntas, sed meae *vitae rationes* ab ineunte aetate susceptae prohibuerunt". — **doctissimos homines**] olent haec verba interpolatorem, quia vulgo a Cicerone (cf. Kuehner LG. II p. 866) appositio, si sententia relativa sequitur, in eam traicitur. Ordo verborum, qualis h. l. invenitur (nomen antecedens, appositio, relativum), apud Livium demum frequentior fit. — **Graeciae**] otiosam interpolationem cum Vollgraffio delevi. Non enim hoc premendum erat, postquam iam paulo ante dictum est *apud Graecos*, tempora *in Graecia* mutata esse, sed generatim vitae condicionem aliam esse factam.

§ 41. **alii**] Epicurei, cf. Ritter—Preller, Hist. ph. Gr. § 470 sqq. — **voluptatis causa omnia sapientes facere**] Diog. Laert. X 128 (Us. Ep. p. 62): *καὶ διὰ τοῦτο τὴν ἡδονὴν ἀρχὴν καὶ τέλος λέγομεν εἶναι τοῦ μακαρίως ζῆν.* Ipse Epicurus vocabulo *sapiens* (*σοφός*) non toties de se discipulisve suis usus est, quoties Stoici, cf. Diog. Laert. X 117: *πρότερον δὲ διέλθωμεν, ἅ τ' αὐτῷ δοκεῖ περὶ τοῦ σοφοῦ καὶ τοῖς ἀπ' αὐτοῦ.* — **neque . . . eruditi homines refugerunt**]

Cf. de fin. I § 25: „et quod quaeritur saepe, cur tam multi sint Epicurei, sunt aliae quoque causae, sed multitudinem haec maxime allicit, quod ita putant dici ab illo, recta et honesta quae sint, ea facere ipsa per se laetitiam, id est voluptatem"; § 26: „est enim (Epicurus) quod tibi ita videri necesse est, non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur"; Tusc. IV 3, 7. — **alii cum voluptate dignitatem coniungendam putaverunt**] sc. Peripatetici et Academici (cf. de fin. II § 34), ut Aristoteles (Ritter—Preller § 421 *a*) virtutis usum cum vitae perfectae prosperitate coniunxit, Callipho (ibid. § 545 *a*) adiunxit ad honestatem voluptatem, Diodorus (ibid. § 443 *e*) ad eandem honestatem addidit vacuitatem doloris. Cf. Tusc. V § 85: „voluptatem cum honestate Dinomachus et Callipho copulavit; indolentiam autem honestati Peripateticus Diodorus adiunxit". — **coniungerent**] non negandum est hanc verbi *coniungendi* repetitionem, cum antecesserit illud *coniungendam*, haud gratum esse auribus nostris, sed Romanos minus offendisse videtur, ut exempla, a me ad § 3 collecta, satis probant. — **dicendi facultate**] subtili facundia. — **derectum iter**] cf. § 38: *derecto seni.* — **qui probaverunt**] ut Socrates iudicabat (Xen. Mem. II 1, 20) et Stoici (Ritter—Preller § 514 sqq.). — **prope soli iam in scholis sunt relicti**] Stoici magistri, ab omnibus destituti, manent in scholis *soli*, sine discipulis, quoniam hi ad alios praeceptores defecerunt. Itaque per illud *soli* non aliis sectis, sed suis discipulis opponuntur Stoici. Cf. Petron. c. 3: „nam nisi dixerint (sc. doctores), quae adulescentuli probent, ut ait Cicero, *soli in scholis relinquentur*". — **coniveret interdum**] indulgentior fieret; cf. § 59: „cur *interdum* in hominum sceleribus maximis aut *conivetis* cet.? Phil. I § 18: „quibusdam etiam in rebus *coniveo*"; proprio sensu, de n. d. III § 8: „cur te duobus contuear oculis et non altero *coniveam.*" — **quibus . . . insistere**] dativus, cf. Tac. hist. III 77; Cic. de r. p. VI 26. Apud Ter. Phorm. 191 hodie vulgo editur: „aut qua quaerere *insistam* (= incipiam) via?" — **casu . . . prolapsione**] *casu* homo stans concidit, *prolapsione* is qui *ingreditur* provolvitur. — **corroborata**] cf. Lael. § 74: „*corroboratis* iam confirmatisque et ingeniis et *aetatibus*".

§ 42. **oculis**] ablativo facile carere possumus iuxta verbum *aspernandi*, sed additus est propter concinnitatem, ut quinque sensus (aspectus, odoratus, tactus, gustatus, auditus) omnes nominatim indicarentur. —

deos propitios . . . iratos] cf. in Pison. § 59: „qui (dii), ut noster ille divinus dixit Epicurus, neque *propitii* cuiquam esse solent neque *irati*". Qui *dis iratis* natus esse dicitur, est homo miser et infortunatus, cf. Iuv. Sat. X 129 (Mayor), vel scelestus Plaut. Mil. 314 (Brix—Niemeyer). — **deserta via et inculta atque interclusa cet.**] eo ipso, quod haec via a plerisque vitatur, iam non curatur, sed impeditur *frondibus* arborum silvestrium et *virgultis* sponte sua crescentibus. — **detur aliquid aetati**] condonetur, concedatur. Quae lectio in T exstat *aliqui ludus* pro *aliquid*, sumpta esse ex § 28: *datur . . . aliqui ludus aetati* videtur. Mox sequitur: *dederit aliquid temporis ad ludum aetatis.* Vix autem credibile est eadem in paragrapho bis eadem formula usurum fuisse Ciceronem (Orellius). — **non omnia . . . non semper**] negatio *non* pro *ne* in modo hortativo adhibetur, si ad unam vocem sententiae pertinet, Kuehner LG. II p. 144 § 48. — **derecta**] cf. § 38. — **ratio . . . rationem**] de hac eiusdem vocabuli repetitione, cf. § 3. — **pudicitiae**] cf. § 6. — **spoliet**] eripiat, cf. § 2. — **ne faenore trucidetur**] pessumdetur („geruineerd worden"), cf. Liv. VI 37, 2: „*faenore trucidandi* plebem". — **ne incurrat in . . . famam**] ne leviter famam domus alienae ad tempus laedat. Contra *incurrere in alicuius domum et familiam* (ita Σ) sic nude positum nihil aliud significaret nisi verbis asperius invehi in alicuius domum et familiam (Orellius). — **dederit . . . cupiditates**] haec verba Franckenus interpolata putat primo propter asyndeton, tum propter *inanis*, denique propter constructionem *dare aliquid ad* sine gerundivo. Sed asyndeton in hac parte orationis concitata minime mirandum (cf. supra: *relinquatur*, *detur . . . sit*) neque *inanis* ab hoc loco alienum est, cum cupiditates adulescentiae, ut leves, opponantur rebus seriis aetatis virilis. Quod ad praepositionem attinet, Franckenus fallitur, nam Cicero praeter gerundivum etiam substantiva per *ad* cum verbo dandi iunxit, cf. ad fam. XIII 1, 4: „velim des te *ad lenitatem*". — **rei domesticae . . . forensis . . . publicae**] „huiselijk-, maatschappelijk-, politiek leven". — **ea quae ratione antea non perspexerat**] voluptates, quas in iuventute perceperat non intellegens, quam essent inanes.

§ 43. **deferbuissent**] „uitgisten". Hanc formam (*deferuuissent* P[1], *defervissent* P[2]) tuetur Hor. Sat. I 2, 71: „mea cum *conferbuit* ira." Altera forma legitur apud Ter. Ad. 152: „sperábam iam *deférvisse* adulescéntiam", et Cic. Brut. § 316: „et quasi *deferverat* oratio."

Cf. Kuehner LG. I p. 555. — **multi a me . . . praedicarentur]** cogitat fortasse Cicero de C. Valerio Flacco (a^0 209), qui post adulescentiam neglegentem luxuriosamque pristinos mores exuit, cum flamen Dialis a P. Licinio pontifice maximo captus esset (Liv. XXVII 8, 4) vel de ipso Scipione maiore, qui aliquando a patre „cum pallio uno" ab amica abductus est (Gell. VII 8, 5). — **nominarentur]** memorarentur interdum sine ulla eorum infamia. — **qui vellet]** hypothetice: si quis vellet. In tota sententia (*vellem . . . praedicarentur* cet.) pro imperfecto modi irrealis potius praesens potentialis exspectatur, Kuehner LG. II p. 924.

§ 44. **confidentius]** audacius; Tusc. III § 14: „*confidens* mala consuetudine loquendi in vitio ponitur, ductum verbum a confidendo, quod laudis est." — **de studiis eius honestis]** de his coram iudicibus eruditis orator libere loqui audet. Simul iis blanditur eadem ratione atque ante (§ 32) praetori, qui iudicio praeest. — **aes alienum]** cf. § 17. — **ventris et gurgitis]** Franckenus optimo iure suspicatur vocabulum, quod est *gurges*, proprie partem corporis, gulam, significasse (cf. Walde LEW. p. 278), provocans ad vocem gurgulio et verbum ingurgitandi. Certe haec significatio h. l. requiritur propter vicinum illud *ventris*, sed alia exempla huius usus vix reperias. Vel voraginem indicat, vel translate de homine voraci usurpatur. — **hae deliciae]** hodiernae voluptates exquisitae („verfijnde genoegens"); p. Mur. § 13: „multarum *deliciarum* comes est extrema saltatio." — **quae firmiore . . . non solent esse]** Bakius *non* delere voluit, quae coniectura primo aspectu arridet, sed Ciceronis ratiocinatio mihi haec esse videtur: *Vitia ventris et gurgitis* numquam in adulescente Caelio fuerunt; si fuissent, etiam nunc in viro essent, nam aetate augentur, non evanescunt. Et *amores deliciaeque*, quae vitia si in adulescente fuerunt, viro iam non molesta sunt, omnino numquam Caelium occupaverunt, cf. § 45 „*atqui scitote, iudices*", cet.

§ 45. **genus orationis]** cf. prol. p. XVII. Oratio eius, etsi splendida et grandis a Cicerone (Brut. § 273) appellatur, tamen Quintiliano et Tacito aspera et amara visa est, quippe cum Caelius ad Atticum genus dicendi magis inclinaret, Teuffel RLG. § 209, 7. Franckenus *genus* expungere, gen. *orationis* cum acc. *facultatem* iungere volebat, sed proxima verba *atque in eo* propter gen. sequentem *eius* non ad Caelium, verum ad *genus* referenda sunt, ita ut hoc vocabulum ne

possit quidem desiderari. — **non gloriandi**] nam Caelius Ciceronis discipulus erat. — **nisi me . . . fallebat**] nisi errabam. Plerumque verbum impersonale *fallit* (cum negatione) significat: ignotum esse. Haec sententia (errandi) in passivo usitatior est, sed cf. de off. II § 25: „nec eum *fefellit* (= quod ad coniugis insidias attinebat, non erravit); p. Sest. § 106: „nunc, nisi me *fallit*, in eo statu civitas est" cet. Si haec vis in verbo activo inest, addi solet *animus* vel *omnia*, Cic. Att. VIII 7, 1; Ter. Ph. 735. — **ratio**] „methode"; *oratio* (Vollgraffius) ne ferri quidem potest, si praecedens illud *in eo* ita explicamus, ut supra feci. Cf. p. Arch. § 1: „si huiusce rei *ratio* aliqua, ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta" cet. — **copia, inopia**] ut haec fortunae vicissitudo in vita adulescentium dissoluta accidere solet. — **hoc, quidquid est**] „de hoogte, waarop wij staan in de welsprekendheid"; ita modeste de eloquentia sua loquitur et de vi eius, cf. de orat. I § 29: „*hoc* totum, *quicquid est*, sive artificium sive studium dicendi." — **quoquo <modo facimus, non> modo agendo**] sic egregie Madvigius lectionem cod. P supplevit, quae coniectura postea luculente probata est codice Σ. *agendo* non universe dictum, sed de oratoris *actione* („het optreden") intellegendum.

§ 46. **tam sint pauci**] eadem ratiocinatio de causis exigui numeri oratorum invenitur de orat. I § 15 (qui dialogus a^{0} 55 scriptus est): „erant autem huic studio (eloquentiae) maxima, quae nunc quoque sunt, exposita praemia vel ad gratiam vel ad opes vel ad dignitatem"; § 16: „quibus de causis quis non iure miretur ex omni memoria aetatum temporum civitatum tam exiguum oratorum numerum inveniri?" § 19: „quam ab rem mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis, cum ex iis rebus universis eloquentia constet, in quibus singulis elaborare permagnum est." — **obterendae**] quasi pedibus conculcandae, abolendae, cf. pr. Caecin. § 18: „ita calumniam stultitiamque eius obtrivit". — **in hoc genere labor offendit homines**] ita Madvigius coniecit pro *labore fiendi homines* (P), quae coniectura postea rursus stabilita est lectione Σ. Ceterum significatio verbi *offendit* h. l. paulum diversa est a vulgari = hominibus taedium movet, molestus est; cf. de orat. I 259: „a („van") quibus nihil praeter voluptatem aurium quaeritur, in iis offenditur, simul atque imminuitur aliquid de voluptate". Hor. A. P. 290: „si non offenderet unum quemque poetarum limae labor

et mora". — **non quo aut ingenia deficiant]** optime *non quo* („maar niet omdat") respondet superioribus *labor offendit*, quibus vera causa continetur, cur pauci sint oratores, subiciturque peropportune non eas esse illius paucitatis causas, quae vulgo putentur. Quod ad Romanorum *ingenia* attinet, cf. de orat. I § 15: „*ingenia* vero, ut multis rebus possumus iudicare, nostrorum hominum multum ceteris hominibus omnium gentium praestiterunt".

§ 47. **isti vitae]** qualis ab accusatoribus exposita erat. — **consularem hominem admodum adulescens]** Caelius a^0 59, viginti sex annos natus, C. Antonium Hybridam, qui una cum Cicerone consul fuerat, de repetundis accusavit, cf. prol. p. VI. Saepius a Tacito *admodum* cum vocabulis *adulescens* vel *iuvenis* iungitur, sed certus et status annus aetatis, ut consentaneum est, ita non indicatur, plerumque tamen aetas viginti sex annis minor, Dial. 1; Agric. 7; Hist. II 78; IV 5; 42; Ann. I 3; IV 13; 44. Velut Domitianus duodeviginti annos natus dicitur *iuvenis admodum*, Claudius Marcellus viginti annos natus, *admodum adulescens* moritur. — **in iudicium vocaret]** haec verba post *in iudicium vocavisset* non otiose abundant, neque eandem rem iterant, sed ad aliam, sc. Atratini patris causam, referenda sunt. De eorundum verborum iteratione cf. § 3. — **subiret periculum capitis ipse]** accusatus est ab Atratino filio, cf. prol. p. VIII. Damnatum sine dubio poenam exsilii sequi oportebat. — **vicinitas redolet]** haec translatio, ut recte animadvertit Orellius, a nostro usu admodum aliena est et ex earum genere, in quibus attente circumspiciamus necesse est, quomodo conciliari possint cum nostri sermonis indole. Verte: „verdacht zijn". Aliter Cic. Brut. § 285: „mihi quidem ex illius (Demetrii) orationibus *redolere* ipsae Athenae videntur". — **personant]** magna voce clamant, cf. Liv. III 10 § 10: „tribuni coram in foro *personare* fabulam compositam Volsci belli, Hernicos ad partes paratos"[1]. — **haec . . . integumenta]** usitata, communia.

§ 48. **a maiorum . . . concessis]** frustra alia exempla in oratione soluta quaesivi, ubi *concessum* substantivum est, aliquoties tamen in

[1]) De origine vocabuli *persona*, quod proprie tegimentum capitis significare puto (*porrum* = „look" et „hoofd", cf. Moret. 74), ipse disputavi Mnem. XXXV, 2, 114—118, contra Skutschius (Arch. LL. XV 145), cui Fr. Stolzius assentitur, originem eius Etruscam esse (sc. ortum ex voce * *φersu* = masker) probare conatus est.

sermone poetico occurrit, Verg. Aen. V 798: „si *concessa* peto"; Ov. Met. IX 454: „Byblis in exemplo est, ut ament *concessa* puellae". Etiam ab Hor. Sat. I 4, 113 idem participium de eo quod in re Venerea liceret, adhibitum: „Venere *concessa* uti", quod is facere dicebatur, qui adulteris mulieribus abstinebat (Baumgarten, Seneca und das Christenthum, p. 144; praeter hunc locum affert: Hor. Sat. I 5, 82; Ov. a. a. I 1, 33; ep. ex P. III 3, 68; Trist. II 249; Sen. de tranqu. 9, 2; 10, 5; de ben. VII 30, 3). De tota re cf. § 28: „datur enim *concessu* omnium huic aliqui ludus aetati." — **fuit ut**] cf. § 14. — **quod licet, non liceret**] oxymoron: licet per maiores, non licet per magistros illos severos. — **hic ego . . . relinquam**] in textu constituendo Muellerum et Kochium secutus sum, nam Cicero hoc demonstrare voluisse mihi videtur: ego vobis iam enarrabo, qualis illa fuerit consuetudo inter Clodiam et Caelium (Clodiae videlicet plena dedecoris, Caelio non pudenda), sed neque ipsam rem accuratius indicabo neque Clodiam nominabo. — De structura *in medio relinquere* cf. Gell. XVII 2, 11.

§ 49. [**non**] ante **nupta** cum Franckeno expunxi, id quod tota argumentatio flagitat. Quî enim in postremis verbis huius interrogationis (**adulter an amator**) electio dari poterat auditoribus, nisi in protasi **nupta** mulier commemorata esset, qua adulescens amica utebatur? — **sese . . . collocarit**] Cf. de off. I § 158: „totum *se in* cognitione et scientia *collocaret*"; Tusc. V § 3: „totos *se in* optimo vitae statu exquirendo *collocarent*". — **ita sese gerat**] quomodo veram matronam deceat se gerere in congressu, Seneca pater depingit Contr. II 7 (15) 3 (in ed. Kiesslingi p. 226): „matrona quae <tuta> esse adversus sollicitatoris lasciviam volet, prodeat in tantum ornata quantum ne immunda sit; habeat comites eius aetatis, qui impudica, si nihil aliud, verecundia annorum removere possint; ferat iacentis in terram oculos; adversus officiosum salutatorem inhumana potius quam inverecunda sit; etiam in necessaria resalutandi vice multo rubore confusa <sit>". — **flagrantia oculorum**] idcirco Cicero eam *βοῶπιν* appellabat, ad Att. II 9, 1. — **osculatione**] itaque Clodia, matronae illi a Seneca depictae dissimillima, ausa est viris sibi obviam euntibus oscula dare. Rectissime Schoellius reliquos ablativos [**aquis, navigatione, conviviis**] eiecit, quippe qui plane diversi generis sint atque superiores (*incessu*, *ornatu*, *comitatu* cet.) neque ita nude positi sine praepositione, adiungere se possint verbo **sese**

gerat. — sed etiam proterva meretrix procaxque] gradatio optimae notae est, non „supplementum prudentis alicuius Itali", ut Orellius vult. Similiter Iust. XXX 2, 1: „dehinc crescente licentia iam nec parietibus regiae domus contineri m e r e t r i c i s audacia potest, quam p r o t e r v i o r e m . . . cotidiana regis stupra faciebant".

§ 50. **iniurias tuas]** quae causa fuerit inimicitiarum Clodiae adversus Ciceronem, exponit Plut. Cic. 29. — **quae abs te crudeliter in meos me absente facta sunt]** Terentia enim, quae marito expulso ad Fabiam sororem in aedem Vestae fugerat, inde a Clodianis protracta et ad tabulam Valeriam ducta, pro viri bonis cautionem dare coacta est, ad fam. XIV 2, 3. Cf. etiam p. Sest. § 54: „vexabatur uxor mea, liberi ad necem quaerebantur"; p. Balb. 26 § 58: „omni officio, lacrimis, opera, consolatione omnes me absente meos sublevavit" (sc. Cornelius Balbus). — **paulo ante]** sc. § 38: „si esset aliqua dissimilis istius." — **defendet]** probabit, testimonio erit. — **et huic et ceteris magnam ad se defendendum facultatem dabit]** Aldi coniectura (non Orelli, ut vulgo editores putant, nam hic contra vehementer eam impugnavit in ed. a[i] 1832) confirmata est lectione codicis Σ. *Ceteri* illi adulescentes sunt ii, qui pariter atque Caelius aliquid rationis cum Clodia habuerunt (cf. § 38, 52), sed quos istius *impudentia*, quam palam profitetur, satis excusat. — **ad se defendendum]** exspectatur *defendendos*, sed ut saepissime genitivi pronominum (*nostri*, *vestri*, *sui* plur.) cum singulari forma gerundivi iunguntur (e. g. Caes. b. G. III 6, 1), sic h. l. accusativus; cf. Planc. ap. Cic. ad fam. X 23, 3: „ut spatium ad c o l l i g e n d u m s e h o m i n e s haberent."

§ 51. De hac parte orationis (§§ 51—69) cf. prol. p. XXVII. — **emersisse iam e vadis** cet.] amplificavit hoc simile Hieronymus ad Hel. de laude vitae solitariae c. 9 (ed. Er.): „sed quoniam e scopulosis locis enavigavit oratio et inter cavas spumeis fluctibus cautes fragilis in altum cymba processit, pandenda vela sunt ventis et quaestionum scopulis transvadatis, laetantium more nautarum, epilogi celeusma cantandum est." — **una in muliere]** ad unam mulierem pertinentia, § 31. — **quod sumptum a Clodia dicitur]** cf. § 30: „[aurum sumptum a Clodia, venenum quaesitum, quod Clodiae daretur, dicitur.]" — **L. Luccei]** L. Lucceius, Ciceronis familiaris, anno 60 a. Chr. n. frustra consulatum petiverat (Suet. Caes. c. 18 et 19), qua repulsa accepta historiae aetatis suae operam dedit et mense Iunio a[i] 56 —

quo epistula ad fam. V 12 scripta est — iam bellum Marsicum et Sullanum paene totum conscripserat. Bello autem civili a Pompeii partibus stetit (ad Att. IX 11, 3), sed a Caesare impetrata venia rursus Romae se dedit studiis. Quod Cicero ab eo in epistula supra commemorata petivit, ut nomen suum consulatumque scriptis illustraret, non videtur Lucceius morem ei gessisse. Qua de re Cicero ad Att. IV 6, 4 ita scribit: „epistulam Lucceio nunc quam misi, qua meas res ut scribat rogo, fac ut ab eo sumas (valde bella est) eumque ut approperet adhorteris et quod mihi se ita facturum rescripsit, agas gratias." Erat Lucceius vir bonis pollens, sed probus et integer, cf. Teuffel RLG. § 172, 5. — **Dio**] cf. § 18 et 23, prol. p. XX. — **tum**] eo tempore quo necatus est, nam ante apud T. Coponium habitasse videtur, § 24. — **legatis**] cf. II Verr. 1 § 85: „etenim nomen *legati* eiusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum iura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur". — **insidiandis**] gerundivum sic adhibitum, quasi verbum transitivum esset, Kuehner LG. II p. 77, 6. — **audaciae**] levior vox graviori (*sceleris*) postposita, ut § 13.

§ 52. **sumeret**] pro: mutuum rogaret, ut etiam supra § 51. — **si non dixit, cur dedit?** cet.] argumentatio admodum debilis, ne dicam absurda. Poterat enim Clodia amico aurum dare, haud curans, quem ad finem eo uti vellet, poterat etiam credere verbis Caeli, cum diceret se aurum ad ludorum ornatum (§ 53) petere. — **[conscientiae]** hic genetivus, ut optime vidit Schwartzius, iuxta pronomen *eodem* ferri nequit. *Alio* enim scelere Caelius (sc. veneficio), *alio* Clodia (sc. conscientia sceleris) se devinxit. *Conscientia* igitur sceleris non potest Caelio imputari, quod fieret, si iungeres: *eodem conscientiae scelere.* — **aurum ex armario tuo**] non dederat Clodia aurum signatum mutuum Caelio, sed ornamenta aurea, quibus simulacrum Veneris diebus festis domi ornare solebat. Trimalchio quoque habebat grande armarium, in cuius aedicula erant Lares argentei positi Venerisque signum marmoreum, Petron. 29 s. f. — **spoliatricem ceterorum**] Venerem Cicero *spoliatricem* dixit, quasi esset istud nomen in illius deae attributis, ut notae sunt Venus Conciliatrix, Genetrix, Victrix, Felix cet. Ceterum constat ex ipsius Ciceronis testimonio (§ 38) Clodiam liberaliorem quam avariorem fuisse. — **scilicet**] glossematis indicium est. — **sanctissimi**] qui dis acceptus est propter mores incorruptos fidemque

religiosam („eerbiedwaardig"). — **labem**] quae dignitati Luccei aspersa esset, si eius servi hospitem domini sui necassent. — **popularis**] omnibus patens.

§ 53. **vidit hoc Balbus; celatam esse Clodiam dixit**] Balbus vidit aurum Caelio a Clodia traditum esse idemque testis affirmavit eam hoc fecisse, celatam de vero Caeli consilio. — **ita . . . attulisse**] Caelium *ita*, h. e. cum Clodiam verum consilium suum celasset, aliam rem ei nuntiasse, sc. *se . . . quaerere.* — **ad ornatum ludorum**] qui ludi significentur, incertum est. Ludi ipsius Caeli esse non potuerunt, quippe qui hoc anno (56) nondum ullo magistratu functus esset, nec Calpurnii Bestiae, cui Caelius studebat (§ 26), quoniam is aedilis plebeius fuerat a^0 58, Dio autem a^0 57 Romam venerat (Strabo XVII p. 796). Fortasse Caelius, tamquam magister collegii alicuius, se amico cuidam aedilitatem petenti aurum Clodiae commodasse causatus erat. Quae de ludis ab adversario dicebantur, Cicero omnino refutare supersedit, etsi minime absurda erant. Nam si Clodia, ut iam supra animadversum est, aurum ludorum causa se commodare revera putasset, omnis reliqua ratiocinatio corrueret. Rectissime Franckenus (Mnem. VIII p. 224): „Ciceronem in agendo haec explevisse credo, neque edidisse omnia". — **si tam familiaris erat Clodiae cet.**] Sequitur eadem verborum cavillatio, quae iam § 52 introducta est, addita tamen nunc eiusdem *familiaritatis* (§ 35) mentione, ut adversarium hoc dilemmate premere possit: aut Caelius familiarissimus erat Clodiae, nihil eam celavit, aurum ab ea accepit, ipsa conscia est sceleris; aut non familiaris erat, nihil patefecit, nihil accepit. Quid tertio fieri potuerit, ne tangitur quidem. — **tu**] Atratine. — **non dedit**] breviter pro: neque ille consilium aperuit neque Clodia aurum dedit. — **verum tibi Caelius dixit**] parum caute patronus hac voce *verum* utitur, nam auctore Clodia Caelius ad ludos aurum petiverat, secundum ipsum Ciceronem neque scelus commiserat neque quidquam a Clodia quaesiverat. Ut in superiore periodo, hic quoque ratiocinatio debilis et manca est. — **mores M. Caeli**] eam partem orationis designat, quae solet dici „probabile ex vita", de qua cf. ad Her. II § 3: „defensor negabit fuisse causam, si poterit . . . deinde vita hominis ex ante factis spectabitur" cet., p. Rosc. Am. § 39 (Landgraf). — **credendum . . . credendam**] de hac eiusdem verbi iteratione cf. § 3. — **illa**] sequentia indicat (**ubi sit congressus** cet.), nota illa, *ἐκεῖνα.* —

qui . . . aditus] quomodo per quos adierit servos Luccei. — **peragrare**] non modo permeare, sed etiam perscrutari, cf. Gell. VI (VII) 16, 6: „hanc autem peragrantis gulae . . . industriam" cet. — **non ratio ulla**] nulla eum ad facinus movens causa. Iunctura (*non . . . ulla*), etsi rara, non plane inusitata Ciceroni, Brut. § 312: „ut *non ulla* esset (causa), quae non digna nostro patrocinio videretur"; ad fam. VI 9, 1: „ut *non ulla* cum homine coniunctius viverem".

§ 54. **a me ipso elaborata**] ille locus communis, ubi Cicero accusatorem interrogationibus ad incitas redegisset, si accurate ab eo compositus esset, aliquem *fructum* (laudem) dare ei potuit. — **patiamini**] Lucceius testis pariter *iuratus* testimonium dicit atque iudices sententiam. — **testem**] non potest haec vox abesse, ut Franckenus flagitabat. Praedicative enim hic accusativus usurpatur (*habeo . . . . Lucceium . . . . testem*), *gravissimum* autem pertinet ad *hominem*. — **neque non audisset . . . tulisset**] concinnitas orationis illa quidem a Cicerone neglecta est, cum *illatum a Caelio* nihil habeat, quod ei opponatur. Dictum tamen est pro sententia condicionali (= *si a Caelio illatum esset*) et tribus verbis (*audisset*, *neglexisset*, *tulisset*) se aggregat. — **periculum**] Dio non tantum periculis, quibus alii Romani, expositus erat (cf. Varro de r. r. I 69, 3: „de casu humano magis querentes quam admirantes id Romae factum discedimus omnes"), sed etiam insidiis regis Ptolemaei. — **studia**] sc. philosophiae. — **facinus in alienum hominem intentum**] cf. p. Rosc. Am. § 7: „periculum quod *in* omnes *intenditur*"; ad Att. II 19, 1: „ex iis periculis, quae mihi ipsi *intenduntur*". — **in hospite**] cum Parisino retinui ablativum. Non enim post *hospite* audiendum est *intentum*, sed *in hospite* se adiungit verbo *curare* vimque habet eandem atque: *ubi res hospitis agitur*. — **cum comperisset**] ita legendum est, non *si comperisset*, nam revera Lucceius caedem Dionis comperit. Coniunctivi *doleret*, pariter atque paulo post *reprehenderet*, attractio (*neglegeret*, *ferret*) causa est. — **temptatum** [**esse**] optimo iure et hic et infra (*coeptum*) Pluygersius infinitivum **esse** expunxit. Utrobique enim sententia non acc. c. inf. flagitat, sed obiectum (*id*) cum attributo participiali, in quo vis condicionalis latet. — **doctissimi hominis**] Dionis.

§ 55. **iurati religionem auctoritatemque**] testimonium, quod vir gravis ac religiosus iuratus dixit. — **an aliquam vocem** cet.] veritas ipsa

loqui non potest, sed pro ea loquitur Lucceius testis; eius vox (*haec*) est vox veritatis, alio modo veritas in hac causa non loquitur (inde *una vox*). Pluygersi coniectura *viva vox* (cf. Cic. de leg. agr. II 2, 4; Quint. II 2, 8) praebet illa quidem sententiam rectam, sed non necessaria est. — **negotio**] quod accusator dicebat a Caelio transactum cum servis Luccei. — **facinerosa**] de hac forma cf. Lindsay LL. p. 355 § 72. — **auctoritas**] testimonium. — **utrum ... an ... irreligiose**] recepi in textum pulcherrimam Franckeni coniecturam *irreligiose* pro *religiose*, cuius viri docti argumentatio haec est: „opposita inter se sunt duo testimonia: si mentitur Clodia, verum dicit Lucceius et contra. Inter duo opposita optio datur: mentitane est Clodia, an mentitus est Lucceius? Vobis, inquit, decernendum est, utrum improba femina crimina finxerit, an probus vir contra religionem testimonium dixerit. Ergo in postremis negatio requiritur (*irreligiose*). Post *vir* illud *ir* excidit." Adiectivum *irreligiosus* exstat apud Livium V 4, 10 et Plinium Ep. IV 1, 5; IX 35, 1, adverbium autem apud Tacitum ann. II 50 et Arn. I 24. Si lectio tradita retinetur, forma quidem disiunctiva est (*utrum . . . an*), sed sententia ei non respondet.

§ 56. **evolvere exitum**] hoc simile ductum est a glomere lanae, cuius fili principium et exitum aliquis invenire nequit. — **ne redderet**] ne cogeretur reddere. — **num petivit?**] num Clodia repetivit? — **ne crimen haereret**] ne quando interfecti per sollicitatos Luccei servos Dionis Alexandrini crimine teneretur. Cf. § 15: „in quo crimen haerebat". — **obiecit**] caedem Dionis. — **si hic nullius nomen detulisset**] nisi Caelius Atratinum iterum de ambitu accusavisset. — **tantum facinus . . . sceleris maximi**] caedes Dionis legati significatur, quam Caelius, ut accusator contendebat, celare voluit *altero scelere*, sc. Clodiam veneno interficiendo. — **causa**] vocabulum deest in PEG, facile enim excidere potest, quia in codd. scribitur per compendium: $\overline{\text{ca}}$.

§ 57. **vos .... tribuitis**] non negare poterant accusatores Caelium esse ingeniosum. — **licentius liberius familiarius**] gradatio inest in his adverbiis, *licenter* enim servus agit, si plus facit quam servo licet; *libere*, si pro libero se gerit; *familiariter*, si domini vel dominae amicum se simulat; de comparativo *licentius* cf. Landgraf p. 186 ad p. Rosc. Am. § 26. — **quod foras proferendum sit**] quod enuntiari et palam fieri liceat. — **lustra**] possuntne in domo aliqua *lustra* esse? Si lustrum significat lupanar, ipsa domus lustrum est,

sed non in ea lustrum versatur; sin tenemus lustrum proprie esse cubile ferae, accipi potest pro cella meretricis. — **libidines]** fortasse praestat h. l. propter vicina *lustra* et *luxuries* legi: *lubidines.* — **hic servos non esse servos]** servos non esse servos vulgares, sed arrogantes et moribus consimiles dominae, cum iis omnia committantur cet.

§ 58. **si enim tam familiaris erat mulieris** cet.] par dilemma atque supra (§ 53) perstrinxi. Orator enim non modo demonstrare studet haud simile veri esse Caelium tantam fidem servis Clodiae habuisse, ut eos sollicitaret ad dominam necandam, sed etiam lubenter occasionem arripit rursus familiaritatis illius inter Clodiam Caelium addubitandae. — **sciebat]** „neque iis credidit consilium suum", hoc omissum est, sed facile mente additur. — **esse tanta]** sc. ut cum iis consilium communicaret. — **veneni]** sc. dandi. — **ubi quaesitum est** cet.] post digressionem de Q. Metello (§§ 59—60) Cicero § 61 ad hanc quaestionem revertitur: „sed tamen venenum unde fuerit, quem ad modum paratum sit, non dicitur". — **parato]** empto, cf. § 36.

§ 59. **conivetis]** cf. Phil. I § 18: „quibusdam etiam in rebus coniveo"; p. Cael. § 41. — **praesentis]** pertinet ad **poenas**, ut alia exempla a Wesenbergio congesta docent: de div. II § 122, Phaedr. III 10, 52, Suet. Claud. 34, Curt. X 1, 39, Flor. 1 26. — **hausi dolorem]** sicut poculum hauritur, cf. p. Sest. § 63: „luctum nos hausimus maiorem, dolorem ille animi non minorem". — **Q. Metellus]** consobrinus et maritus Clodiae erat, quem illa a⁰ 59 veneno interfecerat, ut fama erat, cf. § 34; Schol. Bob. ad Sest. 62, 3 (Or. V 2 p. 308): „quod (venenum) ei paratum vel apud Clodium fratrem vel apud uxorem Clodiam videbatur". — **e sinu gremioque patriae]** cf. Verr. V 125: „ex *sinu patriae* nobilissimus adulescens ereptus"; de legg. II 63: „ut *sinus et gremium* quasi matris mortuo tribueretur". — **qui se natum huic imperio putavit]** qui omnem laborem sibi in re publica consumendum atque in ea primas partes se acturum putavit. — **tertio die post quam . . . floruisset]** de plqupf. cf. Kuehner LG. II p. 901, 7 ann. 1, de coniunctivo, ibid. p. 794, d. — **habitu]** sc. corporis. — **extremum sensum ad memoriam rei publicae reservabat]** etiam in novissimis verbis rei publicae reminiscebatur. — **procella]** exsilium. *Procella* Ciceronem perculit et afflixit, *tempestas* diutius totam civitatem vexavit, cf. Tegge

LS. p. 76, 144. — **parietem]** domuum contiguarum in Palatino. — **Q. Catulo**[1])] Q. Lutatius Catulus Capitolinus, filius illius Catuli, qui Cimbros vicit, propugnator erat optimatium, sed Pompeii potentiam timebat (p. Sest. § 101, 121; Plut. Pomp. 16). Erat unus ex iudicibus Verris (Verr. III § 210). Anno 83 templum Capitolinum incendio deletum restauravit dedicavitque (Tac. Hist. III 72). A^0. 78 una cum Lepido consul erat, quem anno post rebus novis studentem et Romam hostiliter petentem primum ad pontem Milvium, deinde cum Pompeio ad Cosam in Etruria profligavit (Sall. hist. I 56; App. b. c. I 107). Cum alii Pompeio summam imperii in bello Mithridatico mandare vellent (66), ille restitit (Cic. p. l. Man. § 51). Extrema aetate maximis honoribus usus pontificatum petens ab adulescentulo Caesare victus est (Sall. Cat. 49). Cum in senatu de Lentulo ceterisque Catilinae sociis deliberaretur, iit in sententiam Catonis, qui eos summo supplicio afficiendos censuit (Plut. Caes. 8). Idem legem Lutatiam de vi et seditione armata tulerat, §§ 1, 70; prol. p. XXIII. De eius eloquentia cf. Brut. § 62. — **fuerat]** nam Catulus iam a^0. 60 mortem obierat medio in consulatu Metelli, ad Att. I 20, 3.

§ 60. **furenti fratri suo]** Clodio tribuno plebis, Ciceronem e civitate expellenti. Iure Orellius **patrueli** expunxit, nam Metellus et Clodius consobrini erant, cum mater Clodii soror esset patris Q. Metelli; cf. de har. resp. § 45: „ut, quod frater („neef") consul ne fieret, obstiterat, quod affinis et sodalis clarissimus vir, qui illum reum non laudarat, excluserat" cet.; p. red. in sen. § 25. — **incipientem furere]** ad plebem transire conantem, cf. prol. p. VI. — **nonne]** cf. § 34. — **ipsam domum]** prolepsis. — **eiciat]** ita recte Muretus pro *eliciat*. Qui hoc defendit, Garatonius, putat *eliciat* dici posse pro *ex sese eliciat*. Idem vitium in codd. legitur Tusc. II 24 § 56: „qui volunt exclamare maius, num satis habent latera fauces linguam intendere, e quibus eici (codd.: elici) vocem et fundi videmus."

§ 61. **unde fuerit** cet.] cf. § 58. Revertitur orator eo, unde digressus est, cum ei mortis Metelli in mentem venit. — **P. Licinio]** alius atque is, qui a^0 51 aedilis fuit, cf. ad Att. V 3, 2: „quarum alterae

---

[1]) Prave a C. F. W. Muellero et A. C. Clarkio editum est *P. Catulo*. In P est *Quinto Catulo*.

(sc. litterae) edictum *P. Licinii* habebant" (cf. Cic. Or. VII p. 342), nam eo anno hic Licinius adulescens nondum potuit aedilis esse. **constitutum factum**] lectionem cod. P. retinui propter verba sequentia *fieri constitutum.* Naugerius omisit *factum*, Σ exhibet *constitutum pactum*, unde conicere possis: *constitutum pactumque* (cf. Iuv. VI 25). — **balneas Senias**] ubi Romae hae balneae sitae fuerint, non constat, sed veri simile est in *Senias* latere nomen eius, qui balneas aedificavit vel conduxit. Eiusmodi balneae publicae (§ 62), quae privati alicuius erant, etiam commemorantur p. Rosc. Am. § 18 (Landgraf) *b. Pallacinae* (a nomine conductoris *Pallacius*), Mart. II 14, 11 (*balnea Fortunati*, *Fausti*, *Grylli*, *Lupi*), Cic. de or. II § 223, p. Clu. § 141; Iuv. Sat. VII 4; Iordan Herm. II p. 79; Iordan-Hülsen III index s. v. *balineae.* — **veneni pyxidem**] pyxis arcula est e buxo facta, in quam cum aliae res conduntur, tum venenum, ita ut nonnumquam genetivus ille (*veneni*) omittatur cf. Suet. Ner. 47: „sumpto a Lucusta *veneno* et in auream *pyxidem* condito"; Iuv. XIII 25: „partos gladio vel *pyxide* nummos." — **fieri in eum locum constitutum**] constitutum esse, ut in eum locum conveniretur. Accusativus eiusdem generis est atque in locutionibus, quales sunt: *ad cenam aliquo condicere foras* (Plaut. Men. 128), *G. noster foras cenat* (Petron. 30), *cum ad eum cenassemus* (Gell. XIX 7, 2); cf. Xen. An. I 2, 2. Lectio *ferri* (b^1) debetur librario, qui hunc accusativi usum non intellexit. — **iam suberat**] non ausus sum lectionem *iamiam* (P) praeferre simplici *iam* (ΣB), cum illud rarissime cum imperfecto iungatur, cf. Hand. Turs. III p. 156. — **hinc illae lacrimae**] verba Terentiana (Andr. 126), quae in proverbium (Otto, Sprichw. p. 184) venerunt, cf. Hor. Ep. I 19, 41; Iuv. I 168: „i n d e i r a e e t l a c r i m a e." Valet idem atque nostrum „daar zit de knoop."

§ 62. **reprehendendi**] refutandi, redarguendi, cf. § 65: „quem quo modo illi *reprehenderent*?" part. orat. 12, 44; de inv. I 42, 44, 46. — **latebra**] numerus singularis huius vocabuli, sensu proprio adhibiti, in oratione pedestri rarior est, Suet. Vit. 17: „ab his extractus e *latebra*"; Tac. Hist. I 43: „sed *latebra* imminens exitium differebat"; III 84. — **balneas publicas**] aetate Ciceronis vulgo distinguitur inter *balneum* privatum et *balneas* publicas, cf. Marquardt Prl. p. 272, ann. 5. — **posset**] imperfectum coniunctivi etiam post praesens (*invenio*) recte se habet, quia irrealis servatur in sententia

secundaria, quodcumque tempus in primaria antecedit, cf. Kuehner LG. II p. 785, 7. — **vestibulo balnearum]** *vestibulum* („voorplein") pars exterior erat vel locus, qui inter aedificium et plateam vacuus relinquebatur; in balneis homines ibi, antequam lavabantur, confabulari vel ludere solebant, Marquardt Prl. p. 224 sqq., 281; Petron. 27, 28. Postea aetate imperatoris Hadriani eandem partem aedium indicabat, quod olim a t r i u m appellabatur, Gell. XVI 5, 3; Marquardt l. l. p. 224, ann. 4; 266, ann. 7. Quae sit origo huius vocabuli (*vestibulum*), non constat. Alii id cum voce *stabulum* cohaerere putant, alii cum *vesti (= domicilium), unde etiam *Vesta*, cf. Walde, LEW. p. 666. — **nec satis commode calceati et vestiti id facere possent]** in balneis interioribus illi homines, a Clodia missi, *calceati et vestiti* versantes inter lavantes, molesti essent et fortasse a balneatore non recepti, quia non ad lavandum venerant, sed alicubi se occultare cupiebant. — **quadrantaria illa permutatione]** iocatur Cicero in rumorem urbanum, quo Clodia aliquando ludibrio habita ab amatore quodam *aes* pro argento (haec est illa *permutatio*) accepisse stupri mercedem dicebatur, quae res paulo infra (§ 71) ab oratore indicatur verbis: *illa vetus aeraria fabula*, cf. Plut. Cic. 30: *ἣν Κουαδραντaρίαν ἐκάλουν, ὅτι τῶν ἐραστῶν τις αὐτῇ, χαλκοῦς ἐμβαλὼν εἰς βαλάντιον, ὡς ἀργύριον εἰσέπεμψεν.* Eandem ob causam Caelius in oratione sua Clodiam appellaverat „quadrantariam Clytaemnestram" (Quint. VIII 6, 53; prol. p. XX), quod maritum interfecisset et iam eo descendisset, ut quadrante prostaret [1]). — **familiaris facta balneatori]** cui iam quadrante se prostitueret. Longe aliam interpretationem huius loci praebet Baehrensius (Cat. Prol. 34), quae non multum differt a Weiskii [2]) ratione: „videtur Clodia aliquando una cum viris lavasse [3])" — viri enim *quadrante* lavabantur, feminae pluris Iuv. VI 447, Sen. ep. 86, 9 — „quae res sub Caesarum imperio non ita raro, tum novitate sua ita offendere potuit, ut hinc feminae procaci lascivaeque

---

[1]) Idem Caelius (Quint. l. l.) Clodiam dixit *in triclinio coam, in cubiculo nolam*, quod aenigma ita mihi videtur solvendum esse, ut eam significaverit in convivio alios viros petisse (*coeam?*), in cubiculo amorem Metelli sprevisse (*nolo*), cf. Wieschhölter diss. p. 23, ann. 15. [2]) „*Quadrantaria permutatio* inest in eo, ut illa dederit quadrantem pro balneo, balneator quandrantem reddiderit pro stupro". Iniuria Friedrichius Cat. p. 66,1 statuit *quadrantaria* = vilis.

[3]) De balneis mixtis cf. Marquardt Prl. p. 282; 274,2.

cognomen illud („quadrantaria”) inditum esse non sit veri dissimile. Hanc rem ita puto Ciceronem perstringere, ut frequenti balnearum usu bonam balneatoris amicam factam illam esse innuat.” Sed haec interpretatio nullo nititur fundamento certo et omnino Plutarchi auctoritate reicitur. Quod ad clausulam huius periodi attinet (*balneatori* — ⏑ — / — —), de qua supra p. 75 disputatum est, Quintilianus (IX 4, 64) refert fuisse, qui eam carperent tamquam minus severam: „est in eo quoque nonnihil, quod hic singulis verbis (*balneatori*, *archipiratae*) bini pedes (creticus et spondeus) continentur, quod etiam in carminibus est permolle; nec solum ubi quinae, ut in his, syllabae nectuntur, *fortissima Tyndaridarum* (Hor. Sat. I 1, 100), sed etiam quaternae, cum versus cluditur *Apennino* (Pers. I 95) et *armamentis* (Ov. Met. XI 456) et *Oreione* (Verg. Aen. III 517). Quare hoc quoque vitandum est, ne plurium syllabarum his verbis utamur in fine.” Itaque obtrectatores illi Ciceronis non ipsam clausulam videntur vituperasse, sed eam improbarunt, quod uno contineretur vocabulo.

§ 63. **contruderentur**] „zich lieten stoppen.” De industria Cicero hoc verbum elegit, quod vulgo de rebus (Varr. r. r. I 54, 2) vel de hominibus vilioribus (Amm. 27, 20) dicitur, quo magis despiceret senatores, qui a muliere ad facinus parum honestum impulsi essent. — **quam velit sit potens**] pro vulgari *quamvis sit potens*, ut mox § 67: *quam volent in conviviis faceti . . . . sint.* — **temere**] = ante tempus, ut apparet ex § 64: „*temere* prosiluisse dicas atque *ante tempus.*” p. Sest. § 80: „male dic Titio, Sabino homini, Reatino, cur tam *temere* exclamarit occisum.” — **homines temperantes**] cum ironia dictum, ut paulo ante: *testis egregios!* Quod Franckenus contendit, *temperantes* non dici posse pro *sibi temperantes*, redarguitur Tusc. III § 18: „qui sit frugi igitur vel si mavis, moderatus et *temperans.*” — **praeclaros**] hoc adiectivum imprimis a Cicerone per ironiam usurpatur (cf. nostrum „prachtig”) Rosc. Am. 101 (Landgraf), Verr. III 25, V 93, Krebs Antib. I[6] p. 450. — **o magna vis veritatis**] similis exclamatio rhetorica de fin. IV 21: *o magnam vim* ingenii causamque iustam, cur nova exsisteret disciplina”. Forsitan Cicero imitatus sit sententiam Aeschinis in Tim. § 84: *οὕτως ἰσχυρόν ἐστιν ἡ ἀλήθεια, ὥστε πάντων ἐπικρατεῖ τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν.*

§ 64. **velut**] sententiae subiungitur exemplum. — **plurimarum fabularum poetriae**] ex hoc loco collectum est Clodiam etiam carmina condi-

disse, Boissier Cic. p. 175; Schwab, Quaest. Cat. p. 77; cf. Schol. Bob. ad Sest. 54, p. 304 Or.: „(Clodiam) studiosam fuisse *saltandi* profusius et immoderatius quam matronam deceret". Ceterum in vocabulis *plurimarum fabularum* ambiguitas quaedam inest, quippe quae etiam significare possint Clodiam ipsam fabulam („in opspraak") fuisse, cf. Plin. ep. VIII 18, 11: „habes omnes *fabulas* urbis, nam sunt omnes *fabulae* Tullus;" Hor. ep. I 13, 9: „et *fabula* fias." De genetivo cf. Cic. Brut. § 286: „quorum Charisius *multarum orationum* (sc. erat)." — **quam est sine argumento**] non cohaeret haec fabula, ut debent verae rerum factarum narrationes, imperite conficta est, neque auditoribus intellegentibus digna neque ingenio boni poetae, cf. ad Att. I 19, 1: „accedit, quod nullam a me volo epistulam ad te *sine argumento* ac sententia pervenire"; Reich, der Mimus, p. 64. — **testatior**] manifestior, apertior. Comparativus participii perf. cum vi passiva etiam apud Nep. Alc. 4, 5; Hirt. b. G. VIII 6. — **ut manifesto Licinius teneretur**] non iterum idem dictum est post verba *ut comprehenderent Licinium* (ut putat Baehrensius), sed altera sententia metaphorice accipienda est („op heeter daad betrapt worden"), cf. Plaut. Pseud. 1143 (Lorenz): „*manifesto* hunc hominem *teneo*, qui argentum attulit". — **temere**] cf. § 63.

§ 65. **ex balneis**] ex interiore parte balnearum. — **illam pyxidem**] sc. fictam illam, quam amici mulieris Caelio obicerent, quasi ab eo servis datam. — **reprehenderent**] refutarent, cf. § 62. — **ad se revocarent maximi facinoris crimen**] magnam rem susciperent gravemque culpam contraherent, si parvis illis indiciis Caelium veneficii accusare auderent. De verbo *revocandi* structura — vulgo enim dicitur: *vocare* aliquem *in odium* cet. — cf. Sen. dial. VII 24, 3: „quis enim liberalitatem tantum ad togatos *vocat?*" — **tempore igitur ipso cet.**] itaque si ullus veneficii conatus Caeli, ullae insidiae a Clodia structae fuerunt, homines illi in insidiis collocati prosiluerunt eo tempore, quo Licinius venenum porrexit atque illi eum comprehendere potuerunt. — **cum**] de coniunctivo post *cum*, quamquam verba *tempore ipso* antecedunt, cf. Kuehner LG. II p. 891. — **mimi ergo est iam exitus [non fabulae]** expunxi ultima verba, quae addita videntur ab eo, qui non intellexit *mimum* genus quoddam fabulae esse, sed oppositum putavit primis verbis § 64: *velut haec tota fabella* cet. In mimo actores erant planipedes,

non personati, ricinio induti, et mulieres quoque partes agebant. Ipsa autem fabula vulgo male composita erat plenaque rerum subitarum et improvisarum, unde Cic. Phil. II § 65: „exsultabat gaudio persona *de mimo* modo egens, repente dives". Cf. Schanz RLG. p. 157—162; Reich, der Mimus, p. 50—80. — **clausula]** aptus exitus, qualem comica ars requirit. — **scabilla concrepant]** instrumentum est musicum (cf. Rich s. v.), quo uni pedi suffixo tibicen pulsabat humum vel ad percussionum modos (Cic. Or. § 198) significandos vel ad finem fabulae indicandum[1]). — **aulaeum tollitur]** hoc fit finita fabula; premitur autem, cum fabula incipit, cf. Scaen. Rom. p. 15; Marquardt SV. III p. 543.

§ 66. **amiserit]** cf. supra § 64: „cur Licinium *de manibus amiserunt?*" — **facinoris . . . voce]** cf. de dom. 128: „si illa lex est ac non *vox sceleris* et crudelitatis tuae". — **expresserint]** non est h. l. *extorserint*, sed *coarguerint*, cf. ad Herenn. IV 49, 62: „(exemplum) ante oculos ponit, cum *exprimit* o m n i a p e r s p i c u e, ut res prope dicam manu tentari possit". — **alacres]** intrepidi („onversaagd"), cf. Tusc. I § 101: „cum legiones scribat Cato saepe *alacres* in eum locum profectas, unde redituras se non arbitrarentur". — **in re . . . in causa]** in eo quod factum est et in iis quae prolata sunt (in iudicio). — **nullus exitus criminis reperietur]** quoniam accusatio haerebit.

§ 67. **praegestit animus]** Cat. 64, 145 (cf. Baehrensium ad h. l.): „quîs (viris) dum aliquid cupiens *animus praegestit* apisci". — **collocatos]** huic lectioni et usus favet et clausulae lex, cf. p. 75; (*locatos* Pπδ). — **alveusne ille an equus Troianus fuerit]** Franckenus *an* expunxit, sed non satis attendit ad antecedentia *aut ubi*, unde apparet electionem quandam et particulam disiunctivam debere sequi. De *alveo* („bassin") vide Rich s. v. 6. Quod attinet ad simile hoc cf. de orat. II § 94: „ecce tibi est exortus Isocrates, magister istorum omnium, cuius e ludo tamquam e x e q u o T r o i a n o meri principes exierunt". — **muliebre bellum]** bellum a muliere concitatum, cf. Aesch. Ag. 62. — **illud . . . respondere cogam]** dictum videtur pro: *ad illud respondere cogam,* quemadmodum etiam verbum *cogendi* cum solo accusativo pronominis neutr. iungitur, de rep. I 2, 3:

---

[1]) De origine vocabuli *scabillum* (* skabh, scamnum) cf. Sommer LG. p. 56, Lindsay LL. p. 283 § 103. Graece vocatur *κρούπεζα* sive *κρούπαλα*.

„ergo ille, cives qui id c o g i t omnes imperio legumque poena". Ter. Ph. 238: „etiamne id lex coëgit?" Baehrensius praepositionem addidit. — **in istum locum]** ubi testes stare et respondere debebant. — **se explicabunt]** ex interrogationum laqueis. — **quam volent]** pro *quamvis* cf. § 63. — **dicaces]** „geestig", Quint. VI 3, 21: „*dicacitas* . . . significat sermonem cum risu aliquos incessentem. — **triclinii]** conclavis ubi epulantur. — **subselliorum]** iudiciorum, nam in subselliis iudices, patroni, accusatores, rei, testes distincti sedebant, cf. Vat. 14 § 34, p. Rosc. Am. 6 § 17. Olim etiam in aedibus Romanorum servi *in subselliis* sedentes una cum dominis *in lectis* accumbentibus cenabant, Marquardt Prl. I p. 301, 175. — **lychnorum]** auctore Chirio Fortunatiano (vide ann. crit.) Cicero hac voce Graeca εὐφωνίας gratia in clausula usus est pro Latina *lucernarum*, quod negare nolim, sed accedit quod *lychni* laquearibus dependentes potius ornamento sunt tricliniis luxuriosis adulescentium quam *lucernae* simplices (cf. Rich s. v. *lychnus*); Hor. C. I 26, 5: „v i n o et l u c e r n i s". — **excutiemus]** dedocebimus, cf. p. Sulla § 24: „*excutient* tibi istam verborum iactationem". — **delicias]** nugas, ludos, iocos, cf. *delicias facere* apud Plautum (Men. 381, Poen. 280). — **venustate]** morum elegantia et urbanitate. — **haereant]** sc. ad latus eius. — **iaceant, deserviant]** iaceant ad pedes eius servilem in modum atque ad nutum praesto sint.

§ 68. **at]** figura occupationis Kuehner LG. II p. 692. — **de cognatorum sententia]** Clodiae, utpote quae vidua in tutela esset, servos manumittere non licebat sine cognatorum sententia, cf. Dig. L 17, 2: „feminae ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotae sunt et ideo nec iudices esse possunt nec magistratum gerere nec postulare nec pro alio intervenire nec procuratores existere". Ulp. 11, 1; Cic. p. Mur. § 27, Lange RA. I p. 228. De vi praepositionis *de* in eiusmodi formulis cf. Kuehner LG. II p. 364. — **tandem aliquid . . .]** nam plerumque quod Clodia peregit, propinquis displicuit. — **crimen est Caelio quaesitum]** si servi manumissi sunt, postquam ad Clodiam maleficium Caeli detulerunt, ut ab inimicis Caeli dicebatur, cf. § 62. Ita enim manumissione Clodia servis fidelibus gratiam rettulisse videbatur. — **quaestio sublata]** nam de servis manumissis non amplius licebat tormentis quaeri, ut verum aperiretur. — **multarum rerum]** sc. turpium, quarum servi domi Clodiae testes fuerant. — **a te ipsa compertam]** quapropter propinqui illi tibi credere debebant.

§ 69. **pyxidem obscenissima sit fabula consecuta**] Quint. VI 3, 25: „*facto* risus conciliatur interim admixta gravitate, ut M. Caelius praetor cet . . . .; interim sine respectu pudoris, ut in illa *pyxide Caeliana*, quod neque oratori neque ulli viro gravi conveniat". Ex hoc loco, ubi Quintilianus ad eandem rem atque Cicero respicere videtur, satis apparet aliquid ridiculi *factum* esse Romae (non dictum), postquam rumores illius veneficii commenti tota urbe percrebruerunt. Quid id factum sit, quod aut ipse Caelius aut alius adulescens perpetravit, non constat, sed ipse conieci (Mnem. 36 p. 183 sqq.) aliquem ad Clodiam misisse pyxidem scheda addita, in qua erat scripta: *pyxis Coeliaca*, ita per iocum obscenum indicans eam ex ventre laborare gravidamque esse. Qui verba Quintiliani parum accurate legentes non de facto sed de dicto solo cogitant, in urbe famam esse dissipatam putant illam pyxidem formam habuisse aliquam obscenam vel obscenum virus pyxidi illi fuisse infusum. Sed huic interpretationi obstat et locus Quintiliani et ipsius Ciceronis verba: *quod etiamsi est factum.* — **nihil est quod . . . non cadere videatur**] cf. infra: *nisi omnia . . . quadrare apte viderentur.* Talis est mulier Clodia, ut omnia turpia ei evenire possint neque homines factis illis flagitiosis fidem denegent. — **quid enim attinebat?**] cum iam Clodiam sperneret Caelius neque eiusmodi res curaret, ut Cicero quidem asseverat. Quintilianus tamen culpam videtur vertisse in ipsum Caelium. — **fictum**] non factum, sed a quodam excogitatum ridiculum, cf. Quint. l. l. — **comprobasset**] etsi erat mendacium, tamen homines id egregie inventum ad Clodiam ludificandam existimabant. — **quadrare**] iocatur orator in cognomen *quadrantaria* (§ 62).

IV. CONCLUSIO C. XXIX[b] — XXXII §§ 70—80 (prol. p. XXVIII).

§ 70. **perorata**] causam iam pertractatam sequitur conclusio sive peroratio, quae ex duabus constat partibus, enumeratione et commiseratione, cf. Landgraf ad p. Rosc. Am. p. 386. — **quae lex**] de hac lege Lutatia fusius disputavi prol. p. XXIII. — **statum patriae**] incolumitatem sive securitatem. — **extremis temporibus**] a° 78 M. Aemilio Lepido Q. Lutatio Catulo coss.; Liv. Per. 90: „M. Lepidus cum acta Sullae temptaret rescindere, bellum excitavit. A Q. Catulo collega Italia pulsus et in Sardinia frustra bellum molitus periit." Lepidus enim cives expulsos revocare, bona reddere iis, quibus a

Sulla erepta erant, tribunatum restituere conatus erat, Sall. Hist. I 56 Kr., Flor. III 23. — **fumantis reliquias**] cf. ad Att. I 14, 4: „de intermortuis reliquiis coniurationis." — **ad rei publicae poenas**] ut rei publicae poenas det et satis faciat. — **ad mulieris .... delicias**] ut satis fiat levitati et petulantiae („grillen") muliebri.

§ 71. **M. Camurti et C. Aeserni**] Clodia postquam a Vettio, qui aes pro argento („illa vetus *aeraria* fabula") stupri mercedem ei dederat (§ 62), ludibrio se habitam animadvertit, irae indulgens Camurtium et Aesernium ultores sibi paravit, qui Vettio pudicitiam eripere non dubitarunt („*Vettiano nefario stupro*"). — **qui quamquam lege de vi certe non tenebantur**] quod Vettio stuprum intulerant, non poterant lege Lutatia de vi postulari, quae esset de vi hominum armatorum (§ 1), sed lege Scantinia (Iuv. II 44, Suet. Dom. 8) debebant damnari. Videtur tamen nobile illud par non unius, sed plurium maleficiorum accusatum fuisse, inter quae etiam talia erant, ut accusatoribus liceret eos lege Lutatia reos facere. Inde Ciceronis verborum obscuritas, inde etiam factum est, ut Atratinus Camurtium et Aesernium commemoraret in Caeli causa et fortasse cum illo compararet. — **emittendi**] cf. Tusc. I § 75: „cum illuc ex his vinculis emissi feremur."

§ 72. **quaestionis**] de vi. — **a lege seiunctum**] non lege Lutatia vetitum, sed tamen tam grave, ut a iudicibus severis oporteret cognosci et puniri. — **prima aetas**] breviter orator de Caeli adulescentia, quae supra fusius exposuit, §§ 6—20, complectitur. — **maiorum natu**] quales erant Crassus (§ 9) et Lucceius (§ 55) et Pompeius Rufus (§ 73). Cf. de off. II § 46: „facillime autem et in optimam partem cognoscuntur adulescentes, qui se ad claros et sapientes viros bene consulentes rei publicae contulerunt, quibuscum si frequentes sunt, opinionem afferunt populo eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerunt ad imitandum." — **velitis**] ita legendum, non *velletis*, nam etiamnunc iudices a Cicerone dicuntur cupere Caelium eiusmodi industriam imitari.

§ 73. **paulum iam roboris accessisset aetati**] sc. natus annos unum et viginti. Alia causa profectionis fuisse videtur, quod nimis familiaris Catilinae fuerat famamque suam meliorem reddere volebat, cf. prol. p. V. — **Q. Pompeio**] Q. Pompeius Rufus a⁰ 63 praetor Capuam missus erat ad bellum servile coercendum, a⁰ 61 pro consule in Africa versabatur, cf. prol. p. VI. — **contubernalis**] erat Caelius

in cohorte praetoria Pompeii. *Contubernalis* cum dativo iunctum, quemadmadum „heres, aequalis („tijdgenoot"), legatus sum alicui" vulgo dicitur, cf. Brut. § 105: „qui se *illi contubernalem* in consulatu fuisse narrabat." — **castissimo homini]** premit castitatem consulis, ut supra (§ 9) Crassi, ne quis pudicitiam Caeli suspectam habeat. Similiter p Planc. § 27: „hic est enim, qui adulescentulus cum A. Torquato profectus in Africam, sic ab illo gravissimo et sanctissimo atque omni laude et honore dignissimo viro dilectus est, ut et contubernii necessitudo et adulescentuli modestissimi pudor postulabat." — **possessiones]** cf. prol. p. I. — **usus quidam provincialis]** post haec vocabula desideratur aliquod verbum, quale *parabatur.* — **tributus]** destinatus. — **decessit]** a^0 60. — **post]** paene supervacuum: cum adulescentiae tempus praeterisset. — **ex aliqua illustri accusatione]** de off. II § 47: „nam L. quidem Crassus, cum esset admodum adulescens, non aliunde mutuatus est, sed sibi ipse peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa" (viginti enim unum annos natus C. Papirium Carbonem accusavit); § 49: „sed cum sint plura causarum genera, quae eloquentiam desiderent, multique in nostra re publica adulescentes et apud iudices et apud populum et apud senatum dicendo laudem assecuti sint, maxima est admiratio in iudiciis, quorum ratio duplex est. Nam ex accusatione et ex defensione constat, quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est. Dixi paulo ante de Crasso. Idem fecit adulescens M. Antonius" (is tamen annos duos et triginta natus Cn. Papirium Carbonem, fratrem Gaii supra memorati, accusavit). „Etiam P. Sulpicii eloquentiam accusatio illustravit, cum seditiosum et inutilem civem, C. Norbanum, in iudicium vocavit." § 50: „Sed hoc quidem non est saepe faciendum nec umquam nisi aut rei publicae causa, ut ii quos ante dixi, aut patrocinii, ut nos pro Siculis, pro Sardis in Albucio Iulius. In accusando etiam M'. Aquilio L. Fufii cognita industria est." p. Rosc. Am. § 55 (Landgraf p. 240). Tacitus re in maius aucta Dial. 34 s. f. (cf. John): „nono decimo aetatis anno (perperam pro vicesimo secundo) L. Crassus C. Carbonem, uno et vicesimo (male pro vicesimo quarto) Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multum aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus."

§ 74. **C. Antonium]** cf. prol. p. VI. — **praeclari in rem publicam beneficii memoria]** victoriam Pistoriensem Cicero Antonio laudi dat, quamquam non Antonius, sed Petreius Catilinam vicit. — **opinio maleficii cogitati]** Sall. Cat. 26, 4: „(Cicero) collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rem publicam sentiret." Nam Antonius re vera ad Catilinae partes inclinaverat. — **plus]** sc. quam aequales illi. — **in foro** cet.] animadvertendum est h. l. non sermonem esse de honoribus, qui Caelio petendi essent (cf. § 18).

§ 75. **in hoc flexu quasi aetatis . . . fama adulescentis paulum haesit ad metas]** metaphora poetis, praesertim Ovidio, usitatissima, e ludis circensibus sumpta, ubi currus *metas* — duae enim spinam terminabant, quarum utraque ternos una in basi conos habebat — circumeuntes saepius *haerebant* vel evertebantur, cf. Ov. Trist. IV 8, 35: „nec procul a *metis*, quas paene tenere videbar, curriculo gravis est facta ruina meo"; Am. III 15, 2: „raditur hic elegis ultima *meta* meis". — **vicinitate]** cf. § 18. — **constrictae]** a patre severiore. — **subito se . . . profundunt]** quasi amnis aggere perrupto, cf. Caes. b. c. III 93, 3: „omnisque multitudo sagittariorum *se profudit*". — **sermone]** cf. § 76: „interpositus *sermo* deliciarum desidiaeque". — **enim]** non pertinet ad solum proximum vocabulum *sermone* — tum *autem* requireretur, ut Baehrensius recte monuit — sed ad vocabula *qua ex vita*, et omnis emphasis cadit in *erat*, quod oppositum est verbo *loquebantur*. — **odiumque]** Iuv. X 328: „mulier saevissima tunc est, cum stimulos *odio* pudor admovet". Verg. Aen. V 6: „notumque furens quid femina possit".

§ 76. **interpositus sermo]** proprie non sermo *interpositus* est, sed ipsum spatium vitae, quo Caeli vita casta et proba familiaritate Clodiae intermittebatur. — **amici mei]** patris Atratini. — **absolutum insequitur]** cf. prol. p. XIX — **sed ego non loquor** cet.] ratio potius flagitat: sed sapientia, de qua loquor, quam in Caelio desiderare videor, non cadit in hanc aetatem. — **studia . . . contractiora]** animi inclinationes et cupiditates („neigingen") moderatiores magisque circumscriptae, cf. de n. d. II § 145: „introitus *contractiores*"; Brut. § 120: „astrictior oratio aliquantoque *contractior*." — **tamquam in herbis]** eo tempore, quo frumentum nondum maturum est, culmi adhuc virides sunt, cf. Liv. XXV 15, 18: „ad frumenta . . . quae iam *in herbis erant* („in den halm staan"), corrumpenda";

XIII 48, 1: „altae in segetibus *herbae*"; Ov. Met. V 482: „primis segetes moriuntur *in herbis*". — **amputanda plura . . . quam inserenda]** orator simile hoc mutuatus est ex agricultura. Adulescentia enim arbori nimis luxurianti comparatur, cui rami inutiles potius sunt amputandi, quam novi *inserendi* („enten") — **efflorescit ingenii laudibus]** ut arbor floribus laeta splendet, sic adulescens ingeniosus laudibus civium se iactat.

§ 77. **nimium efferbuisse . . . deferbuerint . . . mitigarit]** haud aures Romanorum offendit, quod orator ab altera similitudine statim ad alteram transgreditur, ut hic ab arboribus amputandis ad vinum purgandum; cf. Col. XII 25, 4: „ut in *effervescendo* („gisten, opbruisen") vinum se bene purget"; Cat. de agr. 115: „ubi satis *efferverit*, de vino manipulum (sc. veratri) eicito"; Col. XII 38, 3; Plin. n. h. XIV § 149: „nec diluendo ut vina *mitigant*". — **ferocitas]** animi ardor, furor („hartstochtelijkheid, drift"), cf. § 76: „est violentior quam vellem"; „de ardore mentis ad gloriam". — **si quem etiam minimorum horum aliquid offendit]** Ernestius verba *minimorum horum* cum *quem* iungens de corona circumstantium interpretatur, quare legere mavult *minorum*. Sed generis neutri sunt pendentque a pronomine *aliquid*. Eodem modo res leves et spernendae per *minima* indicantur ad Q. fr. III 1, 10: „quod omnia *minima* maxima ad Caesarem mitti sciebam". — **purpurae genus]** Caelius, ut equitis Romani filius, tunicam angusticlaviam, ut decurio municipii, togam praetextam habebat, Marquardt SV. I p. 191. Utebatur autem purpura non plebeia illa ac paene fusca (atra vel violacea), sed Tyria vel Tarentina dibapha, cf. p. Sest. § 19; Iuv. I 27 (Mayor); Plin. n. h. IX § 137; Marquardt Prl. II p. 508. — **deferbuerint]** cf. Plin. ep. IX 16, 2: „devehimus tamen pro novo musto novos versiculos tibique iucundissime exigenti, ut primum videbuntur *defervisse* („uitgegist te zijn"), mittemus". De perfecti forma cf. § 43. — **iam aetas omnia . . . mitigarit]** cf. p. Mur. § 65: „(te) iam *usus* flectet, *dies* leniet, aetas *mitigabit*". — **conservate]** hinc incipit ea pars quae commiseratio dicitur, cf. prol. p. XXIX. — **bonorum virorum]** per se quidem tolerari vix poterat genitivus qualitatis in *civem bonorum virorum*, sed post duo alia membra egregie dicitur (Orellius); cf. Hor. Sat. I 9, 44: „*paucorum hominum* et mentis bene sanae". Quod Muellerus addidit *studiosum*, clausulae legibus repugnare

videtur, Zielinski, Clauselgesetz p. 208. — **satis fecimus**] iniuria Wesenbergius *satisfecerimus* requirit; sententia enim condicionalis non ad acc. c. inf. sequentem pertinet, sed referenda est ad verba praecedentia *promitto* et *spondeo*. — **a nostris rationibus**] a nostris in re publica consiliis („onze politiek") nostroque vitae instituto. — **legibus**] quae illae leges fuerint, sc. duae accusationes quibus malos, ut arbitrabatur, cives persecutus rei publicae se obstrinxit, proximis verbis orator ostendit.

§ 78. **hominem consularem**] C. Antonium § 74. — **ne absolutum quidem**] bis Caelius Atratinum patrem de ambitu accusavit, prol. p XIX. — **largitor**] § 30: „adulter, impudicus, *sequester*"; § 16: „ut si se infinito ambitu commaculasset, ambitus alterum accusaret". — **duas accusationes vel obsides periculi vel pignora voluntatis**] illae accusationes nihil mali a Caelio impendere eumque rei publicae bene cupere praestabunt. — **Sex. Clodius**] mense Martio anni 56 a Milone accusatus, absolutus est, ad Q. fr. II 4, 6; prol. p. XXII. Gentis Clodiae cliens Clodium tr. pl. in legibus scribendis adiuvabat et a⁰ 58 Pisone consule non vetante Compitalia, qui ludi aliquot annos intermissi erant, restituit; Asc. Ped. ad Pison. § 8: „Is fuit familiarissimus Clodi et operarum Clodianarum dux, quo auctore postea (a⁰ 52) illato ab iis corpore Clodi curia cum eo incensa est". Pauly-Wissowa s. v. *Clodii* 12. — **absolutus est**] ita scripsi cum Σ, coniunctivus enim *sit* totam debilitaret orationem. — **per biennium . . . seditionis**] sc. unius illius seditionis per biennium (58—56) concitatae ac ductae a P. Clodio eiusque factione. — **aedis sacras . . . censum . . . memoriam publicam**] significatur aedes Nympharum, quae, ut Mommsenus SR. II 1 p. 360 ann. 2 suspicatur, in campo Martio prope villam publicam fuit, in qua *census* („censuslijsten") et *memoria publica* („staatsarchief") deponebatur, quamdiu censores magistratu suo fungebantur (postea tamen in aerarium transferebatur), Richter, Top. R. p. 109, ann. 1. Alibi Cicero non hunc Clodium, sed ipsum Clodium tribunum huius incendii incusat, p. Mil. § 73: „eum, qui *aedem Nympharum* incendit, ut *memoriam publicam recensionis* tabulis publicis impressam extingueret"; Parad. 4, 31: „*aedis Nympharum* manu tua deflagravit" [1]). — **sine re, sine fide**] „zonder vermogen

---

[1]) De Atrio Libertatis quod foro vicinum erat, cf. Mommsenum l. l.

en krediet." — **sine fortunis]** in oratione incitatiore haec repititio post *sine re* non offendit; de significatione vocabuli *fortunae* cf. Landgraf ad p. Rosc. Am. § 57. — **ore, lingua ... inquinatum]** compellat orator Clodium fellatorem, Mart. XI 61, 1: „*lingua* maritus, moechus *ore* Nanneius, Summoenianis *inquinatior* buccis." — **Catuli monumentum afflixit]** porticus significatur, quam Q. Catulus in monte Palatino de manubiis Cimbricis fecit eo loco, ubi domus M. Fulvi Flacci steterat. Ei adiacebat domus Ciceronis, quam Clodius, postquam Ciceronem in exsilium ire coegit, delevit atque areae partem cum Flacci domo coniunxit porticum denuo dedicans, partem suae domui adiecit, partem Libertati consecravit, Richter Top. R. p. 143, Cic. dom. §§ 102, 114. — **mei fratris incendit]** frater quoque domum in Palatino habebat, Richter l.l. p. 143; de aliis Q. Ciceronis aedibus cf. ad Qu. fr. II 3, 7 (a° 56): „domus tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est" (ubi haec sita fuerit, ignotum); „sed, ut spero, paucis mensibus post K. Quintiles in tuam commigrabis. Tuam in Carinis mundi habitatores Lamiae conduxerunt." — **in urbis oculis]** in frequentissima parte urbis. — **condonatum]** devotum, victimam praebitam, p. Scaur. § 45 o: „postulabis, ut M. Aemilius cum sua dignitate omni, cum patris memoria, cum avi gloria sordidissimae, vanissimae, levissimae genti ac prope dicam pellitis testibus *condonetur*." — **coniuge et fratre]** § 32: „cum istius mulieris *viro* — *fratre* volui dicere." — **latronem]** hoc vocabulo Cicero lubenter utitur de Clodio eiusque ministris violentis, p. Mil. § 55: „age nunc iter expediti *latronis* cum Milonis impedimentis comparate." Ut Fest. p. 118 (M., p. 85 Th.) tradit et etymologia probat, *latrones* olim erant ii, qui conducti militabant.

§ 79. **quod cum]** „daarom wanneer"; alia exempla huius iuncturae praebet Kuehner LG. II p. 873. — **huius miseri]** de Caeli patre cf. § 3. — **servum potestatis]** obnoxium potestati vestrae. — **abiectum ... ad mores sensusque vestros]** provocantem ad vos, quales esse soletis vel patres erga filios vel filii erga patres. — **vel pietati vel indulgentiae vestrae]** quatenus vel ipsi adhuc parentes habetis vivos eosque colitis, vel filiis gaudetis, quibus indulgentiam praestare potestis. — **nolite ... velle]** pleonasmus, cuius exempla vide apud Kuehnerum LG. II p. 1050. — **vulnere]** vulneratione, ictu, cf. Ac. post. I 3, 4: „fortunae *vulnere* percussus." — **firmata iam stirpe**

virtutis] cum virtus eius iam corroborata sit et firmis haereat radicibus, cf. Tusc. V § 37: „quod ita ortum esset e terra, ut *stirpibus* suis niteretur.

§ 80. **conservate parenti filium,**

×

parentem filio.

Luculentum chiasmi exemplum, cf. Kuehner LG. II p. 1079, c. — **allevasse**] haec coniectura ex omnibus maxime placet, quod verbum *allevandi* optime opponitur verbis *percellendi* et *affligendi*; cf. ad Att. XII 50: „ut me *levarat* tuus adventus, sic discessus *afflixit.*" — **addictum**] quasi perpetuae servituti. Ex huius participii interpretamento (*servus*) orta videtur varia lectio apud Mart. Cap.: „Caeli in omni vita *servitium* obstrictum vobis ac liberis vestris habebitis" et lectio in B: *servis.*

INDEX RERUM ET VERBORUM.

(Numeri sunt paginarum).

---

1) Ad locos in commentario commemoratos adde Sen. ep. mor. 4, 2.

[1]) Praetor locos in commentario allatos cf. Sen. ep. mor. 6, 5.